Dat. die 12. julii 1777. Anno III.

## CXXXIX.

Exemptio trium monasteriorum monialium ordinis s. Francisci in Etruria existentium a regimine fratrum dicti ordinis, et subiectio eorum respective ordinariis.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, ac dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemiæ principis archiducis Austriæ Etruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessio

§. 1. Cum, sicut accepimus, tria in istis partibus reperiuntur monasteria monialium ordinis sancti Francisci, unum scilicet sub titulo, seu invocatione santæ Mariæ di Codiponte vulgo nuncupatum, existens prope oppida, seu loca ejusdem nominis Lunen=Sarzanensis diœcesis, aliud vero sub titulo pariter, seu invocatione sancti Hieronymi situm in oppido, seu loco Castilionis Florentini diœcesis Aretinæ, et tertium denique sub titulo quoque, seu invocatione sanctæ Claræ positum in plebe sancti Stephani diœcesis Burgi sancti Sepulchri, quæ quidem tria monasteria subsint curæ, gubernio, regimini, et superioritati fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum; grave autem reddatur onus eisdem fratribus gerendi curam, et gubernium dictorum trium monasteriorum, nec non eadem tria monasteria visitandi, idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate hujusmodi liberos esse desiderent.

Tenor concessionis.

§. 2. Hinc est, quod Nos quieti, ac tranquillitati, tam fratrum prædicti ordinis, quam eorumdem trium monasteriorum, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eis existentium paterna charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus; ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni quoad primum monasterium sanctæ Mariæ, venerabilis fratris episcopi Lunen=Sarzanensis, quoad secundum sancti nempe Hieronymi, venerabilis itidem fratris episcopi Aretini, et quoad tertium nempe sanctæ Claræ, venerabilis pariter fratris episcopi Burgi sancti Sepulchri auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo, ac respective subiicimus, submittimus, et subponimus. Quocirca fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut ad earumdem Nostrarum præsentium literarum executionem, absque ulla mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibique propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernedi, quæ in exequendis, eisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris, auctoritate et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit ordinis, et trium monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in eccle-

siastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 12. julii 1777. Anno III.

## CXL.

**Exemptio monasterii monialium s. Pauli ordinis s. Dominici civitatis Pisanæ a jurisdictione, et cura fratrum ordinis Prædicatorum, et subjectio archiepiscopi Pisani jurisdictioni.**

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, ac dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemiæ principis archiducis Austriæ Etruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, in civitate, seu diœcesi Pisana unum reperiatur monasterium monialium ordinis sancti Dominici sub titulo, seu invocatione sancti Pauli ad Hortum, quod quidem monasterium subsit curæ, gubernio, regimini, et superioritati fratrum ordinis Prædicatorum nuncupatorum; grave autem reddatur onus eisdem fratribus gerendi curam, et gubernium dicti monasterii sancti Pauli, illudque visitandi; idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate hujusmodi liberos esse desiderent.

Concessionis tenor.

§. 2. Hinc est, quod Nos quieti, ac tranquillitati tam fratrum prædicti ordinis, quam ejusdem monasterii, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eo existentium paterna charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis Prædicatorum a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuo eximimus, et liberamus; ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni archiepiscopi Pisani auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo, ac respective subiicimus, submittimus, et subponimus.

Deputatio executoris literarum cum facultate illas declarandi.

§. 3. Quocirca fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut ad earumdem Nostrarum præsentium literarum executionem absque ulla mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibique plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, et decernendi, quæ in exequendis eisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et monasterii prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 16. iulii 1777. Anno III.

## CXLI.

Revocatio Brevis Clementis XIV., quo suppressa fuit congregatio Oratorii sancti Philippi Nerii terræ Hyspelli Fulginatensis diœcesis.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Romanus pontifex curæ gregis Dominici sibi divinitus commissæ more seduli pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quæ a prædecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis, quibus præsertim animarum Christifidelium saluti peramplius consulitur, pro apostolici muneris sui solicitudine moderatur, revocat, et immutat, sicuti, omnibus mature perpensis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Benedictus XIII congregationem erexit, plurimisque ditavit privilegiis.

§. 2. Dudum siquidem felicis recordationis Innocentius pp. XIII. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xxviii januarii MDCCXXIII. expeditas literas congregationem presbyterorum, et clericorum sæcularium Oratorii sancti Philippi Nerii jampridem anno videlicet MDCXLI. in ecclesia sancti Rochi terræ di Spello tunc Spoletanæ, nunc vero Fulginatensis diœcesis auctoritate ordinaria erectam, atque institutam apostolica sua auctoritate approbavit, et confirmavit, ac de novo etiam erexit, et instituit; nec non insuper tunc, et pro tempore existentibus præposito, ac presbyteris ejusdem congregationis, ut ipsi in vinea Domini uberiores afferrent fructus nonnulla privilegia, gratias etiam spirituales, atque indulgentias, et peccatorum remissiones concessit, atque impertitus fuit, et alias prout in ipsius Innocentii prædecessoris literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Clemens XIV. bona ipsius congregationis episcopo Fulginatensi concessit

§. 3. Postmodum vero recolendæ memoriæ Clemens pp. XIV. itidem prædecessor Noster, cum jam antea eamdem terram, suumque territorium a diœcesi Spoletana, intra cujus limites reperiebatur, separasset, ac alteri diœcesi Fulginatensi univisset, propter auctas ex hujusmodi populi incremento novas pastoralis curæ solicitudines, tunc, et pro tempore existenti episcopo Fulginatensi, redditus quoque illius ecclesiæ, et mensæ episcopalis augere decrevit. Per suas itaque in pari forma Brevis die viii augusti MDCCLXXII. expeditas literas idem Clemens prædecessor memoratam congregationem Oratorii in dicta terra erectam, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione sua, et de apostolicæ potestatis plenitudine suppressit, atque extinxit, ejusdemque sic suppressæ, atque extinctæ congregationis fundos, jura, et actiones una cum missarum, aliisque adnexis oneribus episcopatui, ac mensæ episcopali prædictæ Fulginatensi sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo univit, adjunxit, et incorporavit, ac alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis, quarum tenor est, qui sequitur nempe.

### Clemens pp. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor constitutionis Clementinæ.

§. 4. In apostolicæ dignitatis fastigio, divina sic disponente voluntate, meritis licet imparibus constituti omnes Dominici agri partes, quasi de montis vertice inspicimus, ut quid ecclesiarum omnium conditioni, decori, et firmamento conveniat adjudicemus, et divino fulti præsidio, quo cuncta ex sui benignitate pro populorum suorum Christifidelium salute disponit, ad ea, quæ ecclesiarum hujusmodi statum respiciunt, Nostri ministerii partes utiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Nuper siquidem Nos per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas literas ex justis causis animum Nostrum digne moventibus, terram Hyspelli vulgo Spello nuncupatam una cum suo territorio a diœcesi Spoletana, intra cujus limites existebat, dismembravimus, et separavimus, illamque sic separatam, et dismembratam alteri diœcesi Fulginatensi univimus, adjunximus, et incorporavimus, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro expressis, et insertis haberi volumus, uberius continetur. Ex hac autem unione, et adnexione, cum modo Fulginatensis diœcesis latius diffundatur, hinc ex incremento populi novæ tam venerabili fratri Mario episcopo Fulginatensi, quam ejus in episcopatu hujusmodi successoribus adauctæ sunt curæ pastorales, et onera. Ut igitur aucto labore, redditus quoque ecclesiæ, et mensæ episcopalis Fulginatensis aliquatenus augeantur; hinc est, quod Nos ex præmissis, aliisque facti, et rerum circum-

stantiis Nobis bene notis motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, particularem, angustamque congregationem Oratorii in dicta terra Hyspelli per quondam Justinianum Cambj, aliosve sacerdotes, aut institutores usque a principio erectam supprimimus, et extinguimus, atque suppressam, et extinctam omnino decernimus, et declaramus; ejusdem vero sic, ut præfertur, suppressæ, atque extinctæ congregationis fundos universos, et proventus cujuscumque generis, et speciei, nec non jura, et actiones ad dictam congregationem quomodolibet spectantes, etiam agendi contra occupatores, et detentores bonorum, ac pecuniarum, rerumque aliarum ad congregationem hujusmodi pertinentium, una tamen cum missarum, canonum, livellorum, taxarum, legatorum, aliisque ad fundos ipsos, ac proventus adnexis oneribus dictæ civitatis Fulginatensis episcopatui, mensæ episcopali motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo unimus, adjungimus, et incorporamus. Eidemque Mario episcopo facultatem tam moderandi, ac etiam commutandi, et transferendi prædicta omnia, et singula sive pia, sive profana respective onera, quam destinandi usum, et exercitium ecclesiarum ad memoratam suppressam, et extinctam congregationem ex concessionibus capituli collegiatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ dictæ terræ pertinentium, ac demum assignandi dilectis filiis Bernardino Bartocci, ac Vincentio Accorimboni congregationis hujusmodi jam presbyteris, eorumque fratri laico alimenta; quatenus extra aliam, aut proprii, aut alterius instituti congregationem, seu domum religiosam commoraverint, vel aliter provisi non fuerint, ac pro tempore, et quantitatibus, ac sub aliis conditionibus juxta suum æquum, prudensque arbitrium præscribendis tribuimus, et impertimur; ita cæteroquin, ut onera præmissa, si, et quatenus ab ipso Mario episcopo moderata, seu reducta, commutata, vel translata fuerint, non aliter exequi debeant, nisi eo modo, et forma, quibus moderationes, reductiones, commutationes, vel translationes hujusmodi Nobis exponendæ, Nostram in posterum obtinuerint approbationem; ac propterea quamcumque ulteriorem provisionem super cæteris omnibus rem, et negotium hujusmodi quomodolibet concernentibus, præcipue vero super assertibus juribus hæredum, seu legatariorum substitutorum, et respective nominatorum in dispositionibus quondam patris Moder, et presbyteri Fausti Gentili, prout tamen quando, et quatenus opus fuerit, Nobis reservamus. Decernentes ipsas præsentes literas, ac omnia, et singula in eis contenta etiam ex eo, quod presbyteri dictæ congregationis, vel quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, et auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et alias justificatæ non fuerint, aut ex alia quantumvis legitima causa, colore, prætextu etiam enormis, et enormissimæ læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, sed semper validas, firmas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac dictorum piorum institutorum, testatorum, et disponentium etiam ultimis voluntatibus, nec non pactis, atque conditionibus cum prædicto capitulo collegiatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ initis, ac Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus effi-

cacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo septingentesimo septuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno quarto.

Preces porrectæ pro obtinenda restitutione ejusdem congregationis.

§. 5. Nuper autem pro parte dilectorum filiorum cleri, communitatis, et hominum ejusdem terræ expositum Nobis fuit, plura, ac nimis gravia ex hujusmodi suppressione congregationis prædictæ in maximam æternæ animarum salutis perniciem, damna, ac præjudicia certo certius obvenisse: clausa namque ut plurimum ecclesia ejusdem congregationis, quæ in medio oppidi, ac in frequentiori loco, et platea majori sita reperitur, universus populus ejusdem terræ tam assidua administratione sacramentorum pœnitentiæ, et eucharistiæ, quam verbi divini pabulo, et quotidiana oratione horis vespertinis, ecclesiasticis viris, aliisque intervenientibus, fieri solita se destitutum ægerrime agnovit. Ut igitur mala hæc omnia, ac præjudicia, quæ experientia rerum magistra testante, inde comperta sunt, modo deficiant, et auferantur, dicti exponentes in suam, ac perpetuam suorum civium, ac incolarum spiritualem utilitatem, eamdem congregationem presbyterorum, et clericorum sæcularium Oratorii sancti Philippi Nerii in terra hujusmodi antea auctoritate ordinaria erectam, et institutam, atque deinde a memorato Innocentio prædecessore apostolica auctoritate confirmatam, et approbatam, novissime vero a dicto Clemente itidem prædecessore suppressam, atque extinctam per Nos restitui, atque reintegrari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor reintegrationis præceptæ.

§. 6. Nos igitur, qui in procuranda æterna animarum omnium salute apostolicæ auctoritatis Nostræ partes desiderare minime patimur, exponentes ipsos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas in pari forma Brevis ab eodem Clemente XIV. prædecessore expeditas literas cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, ac inde secutis quibuscumque revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque ac effectu penitus, et omnino vacuamus. Eamdemque propterea congregationem Oratorii sancti Philippi Nerii in dicta terra auctoritate ordinaria dudum erectam, atque a præfato Innocentio prædecessore suis literis prædictis apostolica auctoritate confirmatam, et approbatam, una cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, et peccatorum remissionibus dictæ congregationi, suisque pro tempore existentibus presbyteris, ac clericis ab ipso Innocentio concessis, et attributis, ut præfertur, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, in pristinum, ac eum, in quo antequam literæ præinsertæ hujusmodi emanassent, erant statum reponimus, restituimus, et plenarie reintegramus. Ac dictæ propterea congregationi sic per præsentes a Nobis repositæ, et reintegratæ tam præfatam ecclesiam sancti Rochi, atque ædes ei annexas, quam bona omnia stabilia, et semoventia, nec non sacra supellectilia, paramenta, atque mobilia cujuscumque generis, et speciei ad eamdem congregationem, ejusque ecclesiam, et ædes antequam illa suppressa fuisset quomodolibet spectantia, et pertinentia, et in notula, seu inventario tempore suppressionis hujusmodi confecto descripta, atque contenta restitui volumus, præcipimus, et jubemus.

Mandatum de reintegrandis sociis in possessione ecclesiæ, ju-

§. 7. Quocirca venerabili fratri Nicolao episcopo Assisiensi per apostolica hæc scripta committimus, et man-

rium, et bonorum.

damus, ut ipse tamquam a Nobis specialiter ad hunc effectum delegatus per se, vel alium, seu alios ab eo deputandum, seu deputandos dilectum filium Bernardinum Bartocci jam dictæ congregationis presbyterum, ejusque socios in veram, realem, et corporalem possessionem ecclesiæ, ædium, bonorum tam stabilium, quam eorum nunc quoque existentium mobilium, nec non sacrarum supellectilium, aliorumque, omnium prædictorum juxta notulam, seu inventarium, ut præfertur, confectum, nomine congregationis prædictæ sic a Nobis per præsentes restitutæ, ac reintegratæ immittat, immissumque, seu immissos ab omni, et quacumque molestia, ac molestanti persona defendat, et tueatur; pro aliis vero mobilibus, supellectilibus, paramentis, quæ modo quoque existere minime reperiantur, sed post secutam suppressionem prædictam aliis vendita, et quocumque modo alienata fuerint, eidem congregationi jura agendi pro restitutione pretii, et venditione hujusmodi precepti juxta liquidationem coram eodem Nicolao episcopo, vel alio, seu aliis ab eo subdelegando, seu subdelegandis faciendam, contra quos de jure, et prout de jure reservamus, ac reservata, et illæsa esse, et fore decernimus, et declaramus.

Privilegia tributa.

§. 8. Ut autem ex restitutione, ac reintegratione congregationis hujusmodi uberes, quos enixe optamus, in æternam animarum salutem, benedicente Domino, fructus proveniant, eidem Nicolao episcopo injungimus quoque, et jubemus, ut juxta præfatas literas ejusdem Innocentii prædecessoris, ordinationes omnes, atque instituta domus congregationis sancti Philippi Nerii de urbe, tam in respicientibus divinum cultum, ac spirituale animarum bonum, quam in iis, quæ pertinent ad regimen, et gubernium hujusmodi congregationis omnino, ac perpetuo exequi, et inviolabiter servari, ac custodiri curet, et faciat; atque propterea ipse desuper id statuat, et decernat, quod juxta datam sibi a Domino prudentiam divini cultus augumento, et animarum utilitati, ac prospero, et felici gubernio prædictæ congregationis restitutæ, et reintegratæ magis expedire judicaverit. Nos enim ad præmissa omnia præscribenda, et exequenda eidem Nicolao episcopo plenam, et amplam facultatem motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 9. Decernentes easdem præsentes literas, neque etiam ex eo, quod quicumque interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad præmissa citati, et auditi non fuerint, aut ex alia quacumque juridica, et rationabili causa, colore, et prætextu ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet defectu notari, impugnari, et in controversiam revocari nullatenus posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus omnibus, et singulis præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Da-

tum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 16. julii 1777. Anno III.

## CXLII.

Confirmatio transactionum aliorumque gestorum quoad bona ducatus de Ostrog pro hospitali s. Joannis Hierosolymitani.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum, et status litis pendentis inter hospitale Hierosolymitanum, ac nonnullos nobiles Polonos.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacob Laurus le Tonnellier de Brelevil frater miles expresse professus, atque bajulivus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, nec non apud Nos, et Sedem apostolicam ejusdem hospitalis orator, quod opera, ac studio dilecti itidem filii Michaelis comitis de Sagramoso fratris quoque militis expresse professi bajulivi dicti hospitalis, qui ejus minister plenipotentiarius deputatus fuerat, ad id adjutrices manus interponentibus aulis Viennenensi, Petersburgensi, ac Berulini vetustissima quæstio vigens inter hospitale hujusmodi, ac nonnullos nobiles in regno Poloniæ super possessione bonorum comprehensorum in fundatione, seu ordinatione quondam Joannis d'Ostrog absoluta fuit vigore concordiarum, ac transationum inter carissimum filium Nostrum in Christo Stanislaum Augustum Poloniæ regem, et dilectos filios nobiles viros reipublicæ Poloniæ, ac memoratum Michaelem ministrum plenipotentiarium ejusdem hospitalis initarum.

Pensiones annuis assignatæ favore militum qui nati essent vel in Polonia, vel in Lithuania et conditiones servandæ in concessione ipsarum pensionum.

§. 2. Postmodum vero eadem respublica duas edidit præcipuas constitutiones die XVII decembris MDCCLXXIV. quarum prima statuit, ut ex florenis annuis tercentum mille monetæ illarum partium a possessoribus bonorum ducatus de Ostrog solvendis, ac assignatis pro manutentione militiarum, extrahaendi essent floreni centum viginti mille constituti pro dote unius prioratus, et sex præceptoriarum, seu commendarum erigendi, et respective erigendarum favore fratrum militum hujusmodi hospitalis, qui nati essent vel in Polonia, vel in Lithuania, assignando annuos redditus florenorum quadraginta duorum millium pro dote prioratus, ac quantitate florenorum tresdecim millium pro unaquaque ex dictis præceptoriis, seu commendis, sub conditionibus sequentibus, videlicet.

Tenor ipsarum conditionum.

§. 3. 1°. Quod prior, et primi sex præceptores, seu commendatarii conjugati esse possent. 2°. quod eorum successores statuta, seu regulas hospitalis hujusmodi exequi, seu observare deberent. 3°. quod dictus Michael nomine tam dilecti filii magni magistri ipsius hospitalis, quam hospitalis prædicti solemnem emmitteret renunciationem omnibus prætentionibus jam propositis ex parte prædicti hospitalis super bonis de Ostrog, quodque renunciatio hujusmodi a prædictis tribus aulis defendenda esset. Secunda autem constitutione facultas data fuit fundandi octo præceptorias, seu commendas de jurepatronatus juxta sequentes conditiones nempe 1°. quod fundandæ essent ex bonis liberis, ac æri alieno, et hypothecis minime obnoxiis 2°. quod annui earum redditus minime excedere deberent quantitatem quindecim millium florenorum Polonorum. 3°. quod bona prædicta nequaquam exempta esse deberent ab oneribus, et publicis impositionibus ab eadem republica injungendis. 4°. quod bona prædicta subjecta semper intelligi debeant legi, et jurisdictioni regionis. 5°. ac postremo, quod præceptores, seu commendatarii obstricti sint annuatim persolvere cancellariæ Militensi (id est comuni ærario ipsius hospitalis) decimam partem redditSuum suarum respective commendarum.

Acceptatio constitutionum, et renunciatio commissa cuicumque alio juri hospitali competenti.

§. 4. Admissis itaque, seu acceptatis a memorato Michaele ministro plenipotentario nomine, atque ex parte magni magistri, et hospitalis præfatorum sub die II. februarii MDCCLXXV præfatis duabus constitutionibus, renunciavit quoque cohærenter ad earum primam in perpetuum cuicumque alii titulo, actioni, aut juri, quæ dictum hospitale haberet, seu habere posset in supra relatis bonis Joannis d'Ostrog, super quibus initæ, et absolutæ sunt concordiæ, et transactiones prædictæ,

seque obligavit a Nobis, et ab hac sancta Sede obtinere, quod pro hac vice tantum nempe, primi magnus prior, et sex præceptores, seu commendatarii prædicti conjugati esse valeant cum dispensatione ab oneribus, et obligationibus fratrum militum hospitalis hujusmodi, a quibus conventum fuit, quod exempti remanere deberent, quodque unusquisque ex dictis sex novis præceptoribus, seu commendatariis succedere debeat in locum magni prioris juxta eorum antianitatem computandam a die memoratæ renunciationis, ea tamen conditione, ut eveniente deinde vacatione prioratus, et sex præceptoriarum, seu commendarum prædictarum, nec unum, neque aliæ obtineri possent, præter quam quod a fratribus militibus Polonis ipsius hospitalis jam in tales admissis, atque receptis, juxta leges ipsius hospitalis admissas, et in praxi receptas semper pro aliis præceptoriis, seu commendis dudum fundatis in Polonia, et in Lithuania, ac omni tempore observatas in prioratibus linguæ Alemanniæ dicti hospitalis.

Promissio reportandi Bullas etstatuta a magno magistro hospitalis.

§. 5. In quorum omnium sequelam idem Michael se etiam obligavit, quod idem magnus magister hospitalis hujusmodi concessurus esset, non solum necessarias Bullas dicti prioratus, verum etiam earumdem præceptoriarum, seu commendarum, statuta in Bullis prædictis quarta parte respectivi redditus juxta præscriptum a statutis, seu stabilimentis, ac ordinationibus capitularibus ipsius hospitalis auctoritate apostolica confirmatis, quæ usque tunc, ac pro omni tempore semper conventa fuit in tercentis quinquaginta octo ducatis auri Hollandiæ, ac florenis tribus cum dimidio Poloniæ de ea bonitate, atque onere, quibus nunc vigent, pro priore prædicto, nec non in summa ducatorum centum septuaginta novem similium, ac unius floreni cum tribus quartis pariter Poloniæ pro unoquoque ex sex præceptoribus, seu commendatariis, quæ omnia efficiunt quantitatem in totum ducatorum mille quatuor centum triginta duorum auri de Hollandia, ac quatuordecim florenorum Poloniæ anno quolibet in perpetuum solvendorum pro tempore existenti thesaurario dicti hospitalis Varsaviæ; ac demum promisit, quod intra terminum unius anni a die, seu data prædictæ renunciationis computandum exhibiturus esset ratihabitionem ipsius magni magistri, atque dilectorum filiorum consilii dicti hospitalis ministris ipsius Stanislai regis, ac memoratæ reipublicæ Poloniæ, et alias prout ex serie gestorum hujusmodi relata in monumento, seu documento, cujus tenor est, qui sequitur videlicet.

Tenor decreti editi a magno magistro.

§. 6. Frater Emmanuel de Rohan Dei gratia sacræ domus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani et militaris ordinis sancti sepulchri Dominici magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos.

Universis, et singulis præsentes Nostras literas visuris, lecturis, et audituris salutem.

Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria Nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent; quod quidem in publicam formam extrahi, et redigi jussimus, ut ubique tam in judicio, quam extra eidem plena, et indubitata fides adhibeatur; cujus tenor est, qui sequitur, videlicet, Die vii. mensis maii 1776. l'eccellentissimo, e reverendissimo signor gran maestro, avendo esposto al venerando consiglio essere indispensabile far presentare dal cavaliere fr. Michele Sagramoso ministro plenipotenziario di quest' ordine in Polonia, nella prima dieta da congregarsi, la ratifica della rinuncia da esso cavaliere, e ministro fatta sotto il dì 2. febbrajo 1775. di tutte le ragioni dell' ordine sulli beni del ducato di Ostrog in seguito alle due costituzioni promulgate da quella serenissima republica, l' una relativamente alla erezione di un priorato, e sei commende in Polonia, e Lituania, e l' altra alla permissione accordata ai vassalli della medesima serenissima republica di eriggere sino al numero di otto commende di giuspadronato, il tenor delle quali rinuncia, e costituzioni è questo, che siegue, cioè: Actum in curia regia Varsaviensi Sabbatha post festum Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, videlicet die decima septima mensis decembris anno Domini 1774. Ad officium et acta præsentia castrensia capitanealia Varsaviensia personaliter veniens magnificus Florianus Junosza Drewnowski pocillator terræ Lomzensis confœderationis regni generalis, et comitiorum extraordinariorum secretarius eidem officio et actis ejus constitutionem infrascriptam obtulit, et ad ingrossandum acta præsentia porrexit tenoris talis.

Literæ expeditæ in sequelam prælaudati decreti.

§. 7. *Dobrazvoane Ostrogskie terres nommées Ostrog* conservons dans » toute sa valeur et vigeur la constitution » de la diete de 1766, qui resoût le » recés confirmé par la diete de 1677. » dans l'affaire de biens d'Ostrog, et qui » approuve les transactions faites dans le » Grod de Sandomi en 1753 par le p. » Janusz Sanguszko comme successeur » naturel pour lors heritier de biens susdits, ainsi qu'une seconde constitution » de traité en 1768, qui confirme » les dites transactions dans leur teneur; » attenduque la commission établie, et » entamée dans la constitution susmentionée de 1766 pour faire un dipartiméns proportionel dans les biens nommés Ostrog pour la somme de trois » cent mille flor. de Pologns offerts à la » republique par les heritiers de ces terres dans le vue de former un corps de » quelques centaines d'hommes, et pour » fournir à leur sustentation n'a pas été » accomplie à cause des tronbles survenus dans notre royaume, et que d'ailleurs les calamités publiques, et les revenus endommagés ont mis jusq' à » present les heritiers, et possesseurs des » dits biens hors d'état de payer cette » somme, c'est pourquoi pour accomplir » un'ouvrage commencé designons pour » commissaires messieurs Jos. Popiel Castellan de Sierps, Karvoicki regent de » la couronne, Antoine Sobolegwski Porteenseigne de Volhynie, Felicien Drzewiecki Juge Terestre du Palatinat de » Bractau, Stanisl. Malachowki Stolvik » de Krzemieniée, George Mietlski Stolnik de Zytomierz, Dluski Woyski de » Podolie, Bierzynski notaire terestre » de Zytomierz, Wistoki notaire terestre » de Braclawie, Bierzynski Strawste de » Strawalis, Jean Konradrki Juge du Grod » de Kowsgrod, Dorozynski notaire du » Grod de Laticrew, Orlowski Prodwojewodry de Leopol, Cajetan Wylerynski » ponteenseigne de la milice noble de » la republique les quels commissaires » aprés au primier de fevrier de l'année » suivante 1775 à Dubno villes des dites » terres, et aprés y avoir formé leur » siege de jurisdiction, accompliront à » moins qu'il y eut cinq personnes en » tout la regle prescrite pour leur conduite, et enoncée dans la constitution » de 1766, Yls declareront le rigueur, y » marquée contre les transgresseur, et en » indigniant à chaque heritier, et possesseur les plus proches Douanner pour le » payement de la dite somme de 300000 » flor. de Polon. ils assigneront en vigeur » de la constitution de 1766 le premier » terme pour le payement en primier » octobre de l'année courante 1774. » Ce payement se faira deux fois par an, » et pour qu'il soit suivi ordonneront en » consequence. A l'egard des pretentions » de l'ordre des chevaliers de Malthe, » attenduque cet ordre n'ait pas demontré par des documents assés convaincents la legalité de ses demandes aux » commissaires nommés par les etats de » la republique pour connoitre les droits » neanmoins en egard à l'interessement » des trois cours Voisvner, et voulant » que plosieurs chevaliers de l'ordre de » Malthe ayant leur sustentation dans ce » royaume, nous, les états assemblés, et » confederés faisons pour ces chevalier » de Malthe l'établissement suivant: des » à preser il sera fondé un grand prieuré, » et sex commanderies en faveur d'un » prieur, et six chevaliers, qui touts doivent étre gentils-hommes nesPolonois, » et Lithuaniens. Le grand prieur aura » une pension de 42000 flor. de Pologne » par an, et chaque chevalier commandeur 13000 flor. de Pologne du fond » ci dessous marqué. Tous les chevaliers » d'aujourdhuy, et le grand prieur, que » poue les six chevaliers faisant le montant de 120,000 flor. de Pologne seront » decomptés de la somme de 300,000 » flor. de Pologne assignée au regiment, » orles 100,000 flor. de Polon restants » seront employés pour le regiment, qui » trouvera un desommagement; pour » avoir per perdu 120,000 flor. de Polon. » dans le regolement militaire. Monsieur » Michel de Sagramoso ministre plen. » de Malthe faira au nom du grand maitre de Malthe, et de tout l'ordre une » renonciation sollemnellé de toutes pretentions formées par l'orde de Malthe » aux biens d'Ostrog, quelle renonciation sera garantie par les trois puissances actuellement en traité par la » voye de leurs excellences leurs ministres, Antonie Ostrowski eveque de Cujavie, præses, Adam Lodria P. Ponienski marechal de la confederation general de la courone, et de la diete. Michel Radriwill Porte-Glaive, et marechal de la confederation general de » Lithuanie, et de la diete manu propria. » Post cujus quidem constitutionis superius præi nsertæ in acta præsent. ingrossation em originale ejusdem offerenti prævia officii sui quietatione est » extraditum».

Mathias Sobolewski.

Notarius Terris Castr. Varsav. (L. S.) Puc hata. Actum in curia regia Varsaviensi sabbatho post festum Im-

maculatæ conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, videlicet die 17 mensis decembris anno Domini 1774.

Sanctio regis Poloniæ, vi cujus permittitur erectio octo commendarum

§. 8. Ad officium, et acta præsentia castrensia capitanealia Varsaviensia personaliter veniens magnificus Florianus Junosza Drewnouski pocillator terræ Zomzensis confœderationis generalis, et comitiorum extraordinariorum regni secretarius eidem officio, et actis præsentibus sancitam constitutionem infrascriptam obtulit, et ad ingrossandum in acta præsentia porrexit tenoris talis: *Porvvolenie Ustanovviennia Osmiri Roman-derisi.* Permission pour l'erection de huit commenderies. Permettons à huit personnes de fonder des commenderies, et de les établir suivant l'arrangement à faire par ces personnes, et sitôt ces commenderies fondées, nous (suivant la stipulation à faire pour les fondateurs) les approvons à perpetuité par la loi presente, les quelles commenderies doivent étre fondées de bienfonds libres, et ne point chargé de dettes. Nous ne les exemptons pendant point des droits, et impos publiques a etablir par la republique. Ces fonds de commenderies ne doivent outre passer la somme de 15,000 flor. de Polon. de reverin annuel., et doivent toujours rester sous la loi, et jurisdiction convenable du Pais-Les commandeurs auront annullément à payer à la chancellerie de Malte la dixieme partie la leurs revenus. Ant. Ostrovoscki eveque de Cujavie præses, Adam Lodria P. Poninski marechal de la confederation general de la cauronne, et de la diete, Michel Hironyme Radriwitt Porte Glaive, et marechal de la confederarion generale de Lithuanie, et de la diete m. p. Post hujus quidem sancitæ constitutionis superius quæ insertæ in acta præsentia ingrosssationem originale ejusdem eidem offerenti prævia officii sui quietatione est extraditum.

Mathias Sobolegwski.

Notarius Terris Castr. Varsaviæ. (L. S.) Puchata. Stanislaus Augustus Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyovziæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, et Ozemicchoviæ.

Significamus præsentibus literis Nostris quorum interest universis, et singulis; quod veniens personaliter ad acta præsentia metrices regnii cancellariæ Nostræ majoris Generosus Casimirus Olechowski obtulit ad inserendum illis literas originales authenticas renunciationem illustris ordinis Militensis prætensionibus ad bona Ostrogentia habitis per Generosum Michaelem comitem de Sagramoso equitem professum provinciæ Italiæ ministrum pleni potentiarium præfati ordinis in idiomate gallico continentes, manu ejus propria subscriptas, et sigillo gentilitio in cera rubra Hispanica expresso munitas, una cum traductione ipsius in idioma latinum per reverendum in Christo patrem Andream Stanislaum Kosta Mtodriejouski supremum regni cancellarium legalistam; cujus renuntiationis tenor sequitur ejusmodi.

Traductio in idioma latinum renunciationis superius relatæ

§. 9. In nomine Sanctissimæ Trinitatis. Quandoquidem serenissima respublica duabus constitutionibus in acta publica die xxvii decembris anno elapso MDCCLXXIV. inductis controversias ratione bonorum Ostrogensium inter illustrem ordinem Militensem, et possessores dictorum bonorum in perpetuum conclusit; illustris ordo Militensis determinavit se ad renuntiandum per me infrascriptum plena potestate ab eodem ordine die xxvi julii anno MDCCLXXIII. ad id munitum, quemadmodum ego ipso facto renuntio in perpetuum ipsius nomine omnibus cujuscumque tituli, prætentionibus, quas idem ordo instituit ad dicta bona Ostrogentia, et eorum possessores, itaut præfati possessores, eorumque successores nunquam possint molestari, et inquietari ab ordine Militensi quocumque modo directo, vel indirecto; quoniam autem respublica per unam ex dictis constitutionibus mense decembris latam assignavit summam centum viginti millium florenorum annuatim in perpetuum exsolvendam pro redditibus magni prioris, et sex commendatorum, quos instituit illustris ordo Militensis volendo faciliorem reddere hujus novæ institutionis executionem, suamque singularem erga nobilitatem Polonam certari considerationem, promittit obtinere a sancta Sede, ut pro hac sola vice magnus prior, et sex commendatores possint esse conjugati consequenter dispensati ab obligationibus equitum Militensium, et ut quilibet ex dictis sex novis commendatoribus succedat in locum magni prioris, secundum eorum antiquitatem ad præsens institutam, ea conditione nihilominus, ut quoties officia hæc vacabunt, impleri non possint, nisi per equites Polonos jam admissos, et receptos secunqum leges ejusdem ordinis receptas, et practica-

tas semper respectu aliarum præfecturarum equestrium antiquitus fundatarum in Polonia, et Lithuania, observatasque omni tempore in aliis magnis prioratibus provinciæ Germanicæ.

Consequenter S. C. E. magnus magister dabit non solum bullas necessarias magni prioratus, prout ex præfecturarum equestrium præscribendo in iis quartam partem proventuum cujuslibet ex dictis præfecturis, conformiter ad leges ordinis Militensis, et secundum conventionem ad præsens factam, per semper tercentos quinquaginta octo aureos Hollandicos, et tres cum dimidio florenos Polonicales justi, et æqui ponderis pro re magni prioris, et centum septuaginta novem aureos nummos similes, et unum cum quadrante floren. ex re cujuslibet ex dictis sex præfecturis, quod universim efficit mille quadringentos triginta duos aureos nummos Hollandicos, et quatuordecim florenos Polonicales quolibet anno in perpetuum thesaurario ordinis Militensis Varsaviæ pro tunc existenti exsolvendos. Pariter etiam idem supremus magister ratificabit præsentem renunciationem in spatio unius anni a data scripti præsentis, illiusque instrumentum publicum transmittet ad ministerium S. R. M. et reipublicæ Poloniæ.

Quoniam autem consideratio, quam serenissima respublica Poloniæ in hoc negotio habuit erga protectionem, quam tres aulæ Viennensis, Petropolensis, et Berlinensis dignatæ sunt præstare ordini Militentium, faciliorem reddit negotitionem inter ordinem Militensem, et possessores bonorum Ostrogentium, hinc, duæ memoratæ constitutiones serenissimæ reipublicæ in acta publica die 17 decembris anno elapso 1774 inductæ, sicut pariter, et præsens renunciatio erit sub magna, et respectabili assertione trium aularum unitarum.

Varsaviæ die 2 februarii 1775.

Fr. Michael comes Sagramoso, eques professus provinciæ Italiæ, et minister plenipotentiarius mei ordinis.

Approbatio traductionis, et receptio illius in cancellaria episcopali Posnaniensi.

§. 10. Præsentem traductionem latinam cum originali Gallica lingua scripto fideliter concordare attestor.

Varsaviæ 2 februarii 1775.

Andreas Stanislaus Mtodrsowki episcopus Posnaniensis S. R. cancellarius.

Quas ejusmodi renuntiationis literas sicut præmissum oblatas Nos ad acta hæc metrices suscipi, inscribi, et ex illis fideliter rescriptas parti requirenti authentice extra originale Generoso offerenti restitui permisimus. De quo restituto cancellariam nostram quietavit, quietatque præsentibus, ac pro firmiori manu propria se subscripsit.

Casimirus Olechoswki m. p.

In quorum fidem sigillum regni præsentibus est appressum. Actum Varsaviæ sabbatho pridie dominicæ septuagesimæ, die scilicet undecima mensis februarii anno Domini millesimo septingentesimo septuagesimo quinto regni vero nostri undecimo.

Andreas Stanislaus Mtodriesowski episcopus Posnaniensis S.R. cancellarius.

Relatio illmi excellentissimi, et rmi dni Andreæ Stanislai Kostha-Mtodriesowki episcopi Posnaniensis abbatis commendatarii Hebdoviensis supremi regni cancellarii.

Joannes Stominski M. præfectus S. R. M. secretarius.

Oblata renuntiationis prætensionibus ad bona Otrogensia ordinis Melitensis.

Acceptatio binarum supra relatarum constitutionum.

§. 11. L'eminenza sua, ed il reverendo consiglio collo scrutinio delle palle, senza veruna discrepanza hanno accettato le suddette due costituzioni della prelodata serenissima republica, e nello stesso tempo hanno solennemente ratificato la detta rinuncia fatta sopra dal mentovato cavaliere Sagramoso in qualità di ministro plenipotenziario di quest'ordine, incaricando nello stesso tempo il medesimo ministro d'impetrare dalla serenissima republica un'altra costituzione, mediante la quale il venerando priore, e li sei commendatori saranno in perpetuo tenuti, ed obbligati a pagare annualmente a quest' ordine a titolo di responsorio le somme espressamente indicate nell' accennata rinuncia del riferito ministro. Et quia se habet veritas, ideo in præmissorum omnium fidem, et testimonium præsentes manu nostra subscripsimus, ipsisque bullam nostram magistralem in cera nigra imprimere fecimus.

Datum Melitæ in conventu nostro die vii. mensis maii 1776.

Magnus magister de Rohan

Regist. in Cancell.

Fr. Ray.dus Albinus Menville regens cancellariæ.

Loco ✠ Sigilli

Exposcitur confirmatio apostolica ut singulæ conventiones in transactione, et constitutionibus relatæ firmiter consisterent.

§. 12. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, conditiones prædictæ executioni demandatæ, et adimpletæ fuerint, quippe quia ipse magnus magister, et consilium prædictum sub die VII. maii proxime præteriti admiserunt, et acceptarunt præfatas duas constitutiones reipublicæ prædictæ ratamque habuerunt renuntiationem initam, atque obligationes susceptas a memorato Michaele ministro plenipotentiario, et super his monumentum, seu probationem exhibuerunt, hinc dictus exponens nomine, et ex parte ejusdem magni magistri, ac præfati hospitalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut supra expressas transactiones, constitutiones, renuntiationem, ac ratihabitionem apostolica auctoritate confirmare, nec non primum priorem, primosque sex præceptores, seu commendatarios habiles declarare ad assequendum, et retinendum prioratum hujusmodi, ac respective ad assequendas, seu retinendas sex præceptorias, seu commendas præscriptas in statu conjugali, ac cum eis super obligationibus, a quibus conventum fuit, quod exempti ipsi remanere deberent, dispensare, nec non quoscumque juris, et facti defectus, si qui in præmissis et in toto tractatu hujusmodi desuper quomodolibet irrepsissent, pari auctoritate supplere, ac sanare, et in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor pontificiæ confirmationis.

§. 13. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas transactiones, constitutiones, renunciationem, ac ratihabitionem cum omnibus, et singulis articulis, et conditionibus, aliisque in eis contentis, et expressis juxta præinsertorum tenorem auctoritate apostolica confirmamus, et approbamus, illisque omnibus perpetuæ, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque juris, ac facti, et solemnitatum etiam substantiales defectus, si qui super præmissis omnibus quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, vel censeri posset pari auctoritate supplemus, et sanamus.

Dispensatio singularis pro retinendis præceptoriis, et commendis etiam in statu conjugali.

§. 14 Præterea tam eidem primo priori, quam primis sex præceptoribus, seu commendatariis prædictis, ut licet ipsi in conjugali statu reperiantur, ut præfertur, nihilominus prioratum, ac respective sex præceptorias, seu commendas prædictas ex speciali gratia nunquam tamen in exemplum trahenda, libere, ac licite assequi, obtinere, et retinere quoad vixerint, possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus, eosque habiles, et idoneos ad prioratum, et præceptorias hujusmodi respective obtinendas, et retinendas decernimus, et declaramus, atque cum eis super oneribus, et obligationibus fratribus militibus ipsius hospitalis Hierosolymitani jukta præscriptum eorumdem statutorum, seu stabilimentorum et ordinationum capitularium hospitalis hujusmodi incumbentibus auctoritate, et tenore similibus, ex speciali itidem gratia dispensamus

Clausulæ sublatu, et decretum irritans.

§. 15. Decernentes ipsas præsentes literas, et omnia præinserta semper, ac perpetuo firma, valida, ac efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuntios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus omnibus, et singulis præmissis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem hospitali, ejusque magno magistro, conventui, et fratribus, ac quibusvis aliis etiam qualificatis, ac speciali nota, et mentione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, et for-

mis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, et decretis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 17. julii 1777. Anno III.

## CXLIII.

Confirmatio facultatis liberandi quotannis unum reum capitali pœna damnatum, quæ alias confraternitati ssmi Sacramenti civitatis Beneventanæ concessa fuit.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pietatis, et charitatis opera, quæ a Christifidelium confraternitatibus sancte, ac laudabiliter exercentur, ut in posterum quoque, benedicente Domino, peragantur, et augeantur, pro commisso Nobis divinitus pastoralis officii munere, jugiter satagentes, privilegia, ac indulta a prædecessoribus Nostris Romanis pontificibus eisdem confraternitatibus concessa, novo Nostræ confirmationis præsidio, dum id a Nobis petitur, communimus.

Concessio facta a Paulo V. cum suis declarationibus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres confraternitatis ssmi Sacramenti in metropolitana ecclesia Beneventana canonice instititæ, quod alias felicis recordationis Paulus pp. V. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die duodecima decembris MDCV. tunc, et pro tempore existentibus confratribus dictæ confraternitatis, ut annis singulis, feria vi. majoris hebdomadæ, unum reum, quem petiissent a pro tempore existente gubernatore civitatis Beneventanæ, et ab eo obtinuissent, capitali pœna, citra tamen certa tunc expressa crimina, damnatum liberare, et absolvere, dummodo tamen pacem ab offensis habuisset, libere, et licite valerent, facultatem auctoritate apostolica concessit, et impertitus fuit, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Benedict. XIII. et Benedic. XIV concessionem confirmarunt.

§. 3. Postmodum vero tam piæ memoriæ Benedictus pp. XIII., quam rec: mem: Benedictus pp. XIV. indultum, seu privilegium hujusmodi a memorato Paulo prædecessore, sicut præfertur, concessum eidem confraternitati per suas in pari forma Brevis die iv. octobris MDCCXXIV., ac respective die xxix. novembris MDCCXL. expeditas literas confirmarunt, et approbarunt, prout in iisdem utriusque Benedicti prædecessorum præfatorum literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Preces porrectæ pro nova confirmatione concessionis

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, moderni confratres prædicti ejusdem confraternitatis, quo firmius privilegia, ac indulta hujusmodi subsistant, et serventurs exactius, apostolicæ confirmationi Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis privilegii.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem obsolvendi, et liberandi quotannis feria vi. majoris hebdomadæ unum reum capitali pœna damnatum a memorato Paulo concessam, et a Benedicto XIII., ac Bene-

dicto XIV. prædecessoribus prædictis confirmatam, seu innovatam, ut præfertur, expeditasque desuper eorumdem Pauli, et utriusque Benedicti prædecessorum literas, cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes, et præinsertas literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac nunc, et pro tempore existentibus confratribus dictæ confraternitatis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et omnino observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac gubernatores, aliosque officiales, et ministros quoslibet judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 7. Non obstantibus quibusvis posterioribus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quæ literis in præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CXLIV.

Dat. die 19. julii 1777. Anno III.

Confirmatio constitutionis sa: me: Pii V. tribuentis primogenito pro tempore existenti familiæ Florentiorum Auximan. juspatronatus ecclesiæ s. Mariæ Castri Baldi dictæ Auximanæ diœcesis, atque jus ad illum præsentandi unum de familia, simulque concedentis titulum abbatiæ eidem ecclesiæ etc.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur largitiones factæ a Pio V. erga familiam Florentiam, et præsertim concessio juris patronatus.

§. 1. Paternæ, et singularis dilectionis, qua sa: mem: Pius pp. V. gloriosus prædecessor Noster nobilem Florentiorum familiam, ac præsertim bo: mem: Theodosium Florentium, dum vixit, canonicum basilicæ principis apostolorum de urbe, et familiarem suum prosequebatur, plura, ac præclara sane edidit argumenta, pluresque in ipsum contulit pontificiæ suæ clementiæ largitates: præcæteris vero per suas sub plumbo anno incarnationis Dominicæ 1571 quarto idus maii expeditas literas idem Pius prædecessor Antonio Florentio, qui ecclesiam Beatæ Mariæ castelli Baldi Auximanæ diœcesis ex suis bonis propriis reparare, seu restaurare, unamque domum presbyteralem reædificare, nec non illius fructus, tunc viginti ducata aurea de camera non excedentes, usque ad octoginta ducata augere intendebat juspatronatus, et præsentandi personam idoneam de familia Florentiorum loci ordinario, seu ejus in spiritualibus vicario generali, quoties illam de cætero perpetuis futuris temporibus, etiam per resignationem, etiam in favore certæ personæ, et ex causa permutationis, seu per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel omissionem, aut privationem, et alias quovis modo, ac ex cujuscumque persona, etiam apud Sedem apostolicam vacare contigisset, per ordinarium, seu vicarium prædictos, ad præsentationem hujusmodi instituendam tam ipsi, quam ejus hæredibus, et successoribus, majori videlicet natu ex linea masculina domus, et familiæ Florentiorum apostolica auctoritate reservavit, concessit, et assignavit, ac juspatronatus, et præsentandi hujusmodi laicorum tantum etiam nobilium, et illustrium ex veris fundatione, et dotatione existere

declaravit; et ut tale sub derogatione jurispatronatus ex privilegio, aut consuetudine nullatenus comprehensum, sed semper ab illa demptum, et exceptum esse, et fore, illisque nullo unquam tempore etiam per Sedem eamdem derogari posse, nec derogatum censeri, nisi derogatio hujusmodi de ipsius Antonii, ac hæredum successorum prædictorum expresso consensu facta fuisset voluit, et mandavit; quod si dicto juripatronatus aliter derogari contigisset, derogationes hujusmodi, nec non quascumque collationes, provisiones, vel alias dispensationes de dicta ecclesia pro tempore quovis modo vacante, seu vacatura etiamsi in Romana curia vacasset, præter quam dictæ personæ idoneæ per patronum pro tempore existentem præsentatæ, aut de illius expresso consensu etiam apostolica auctoritate prædicta per quoscumque Sedis apostolicæ legatos, vice-legatos, vel alios quoscumque, ac etiam per se et prædictam Sedem, Romanos pontifices ejus successores etiam motu proprio, et ex certa scientia nullas, et invalidas, nulliusque roboris, et momenti existere, nullumque per eas cuique jus acquiri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse decrevit.

Erectio abbatiæ, illiusque subjectio immediata Sedi apostolicæ

§. 2. Pro majori autem ejusdem ecclesiæ decore, ipse Pius prædecessor voluit, quod illa in posterum abbatia Beatæ Mariæ castelli Baldi nuncupanda esset, atque ejus pro tempore possessor abbas Florentius se vere nominare possit, ipsamque abbatiam, et pro tempore existentem ipsius abbatem in perpetuum, una cum illius territoriis, jurisdictionibus, incolis, et bonis quibuscumque sub peculiari protectione Sedis prædictæ, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum immediate suscepit, et subjecit, ita ut pro tempore existenti ordinario, legato, et vice-legato, aut cuicumque etiam episcopali, seu patriarchali dignitate, archiepiscopali, aut cardinalatus honore, seu etiam legationis munere fungenti, nequaquam subiicerentur, sed ab illorum potestate, et jurisdictione abbatiam, atque abbates prædictos penitus exemit, et omnino liberavit, ita quod eorum, præterquam Sedi, ac sibi, et Romanis pontificibus prædictis parere tenerentur, ac præterea nonnulla alia privilegia, et gratias quoque spirituales concessit, et indulsit, ac alias prout in ipsius Pii prædecessoris literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum contentis, et expressis haberi volumus uberius continetur.

Preces porrectæ pro confirmatione omnium privilegiorum, et indultorum familiæ concessorum.

§. 3. Nuper vero exponi Nobis fecit dilectus filius Franciscus Florentius clericus nobilis Auximanus notarius protonotarius apostolicus nuncupatus, ac modernus abbas ejusdem abbatiæ Sanctæ Mariæ castelli Baldi, quod ipse ad hoc, ut peculiaribus prærogativis, gratiis, ac privilegiis ab eodem Pio prædecessore, sicut præmittitur, concessis novum modo supperaddatur robur, atque illa firmius subsistant, et serventur exactius, ea per Nos quoque confirmari, et approbari plurimum desiderat.

Memorantur literæ expeditæ ad diem 2 augusti 1775 quibus privilegia ampliata, fuere, et una cum Piana constitutione confirmantur.

§. 4. Nos igitur, qui familiam ipsam Florentiam ob sua, suorumque in hanc sanctam Sedem merita apostolicæ liberalitatis favoribus jam antea vestigia ipsius Pii prædecessoris sectantes cumulare voluimus, quique propterea per alias Nostras in simili forma Brevis die secunda augusti 1775. expeditas literas post perlustrata, ac serio perpensa privilegia omnia ab eodem Pio prædecessore sicut præmittitur, eisdem abbatiæ, et pro tempore existenti abbati attributa illum novis apostolicæ liberalitatis favoribus magis cumulare decrevimus, nunc vero exponentem ipsum, suosque in abbatia hujusmodi successores amplioris favore gratiæ prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas ejusdem sanctæ memoriæ Pii prædecessoris literas ad hæc usque tempora, ut præfertur, judicialiter etiam executas, atque observatas una cum omnibus, et singulis in eis contentis, ex expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque perpetuæ, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, atque eas futuris temporibus semper, atque inviolabiliter exequi, et servari debere, auctoritate, et tenore prædictis volumus, præscribimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac moderno dictæ abbatiæ beatæ Mariæ castelli Baldi abbati, illiusque in abbatia hujusmodi successoribus,

cæterisque, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CXLV.

Dat. die 6 augusti 1777 Anno III.

Facultas nuntio Poloniæ erigendi in unaquaque ex parochialibus civitatis, et diœcesis Plocensis, unam confraternitatem de Misericordia nuncupandam.

Venerabili fratri Joanni Andreæ archiepiscopo Chalcedonensi ad carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ regem illustrem Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Ad ea, per quæ pauperum, et infirmorum procuratur subsidium, libenter intendimus, utque pietatis, et misericordiæ opera erga ipsos augeantur in dies novas Christifidelium sodalitates hac de causa institutas cœlestibus Ecclesiæ thesauris, quorum dispensationem humilitati Nostræ commisit Deus fideli, prudentique liberalitate libenter decoramus, sicut Nos ad augendam, fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Expositio precum

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, venerabilis quoque frater episcopus Plocensis, quo Christi fidelibus civitatis, et diœcesis suæ Plocensis egestate, et corporis infirmitate laborantibus opportuna præsto esse possint subsidia, unam in singulis ecclesiis parochialibus civitatis et diœcesis prædictæ institui confraternitatem de Misericordia nuncupandam plurimum desideret.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ejusdem episcopi eximiam charitatem, vigilantiam, ac zelum quam maxime in Domino commendantes fraternitati tuæ per præsentes committimus, ut in unaquaque ex ecclesiis parochialibus civitatis, et diœcesis hujusmodi unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem de Misericordia nuncupandam sub aliquo titulo, seu invocatione, vel Domini Nostri Jesu Christi, vel beatæ Mariæ Virginis, aut alicujus sancti ad præmissum effectum, sine tamen alicujus præjudicio auctoritate Nostra apostolica erigas, ac instituas, ac postquam sic erecta, ac instituta fuerit statuta ad ejus regimen condita, seu condenda,

dummodo sacris canonibus, concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur, dicta auctoritate approbes, atque confirmes.

*Indulgentiæ concessæ eis qui nomen suum alicui ex institutis confraternitatibus dederint.*

§. 4. Quo autem fideles, qui confraternitatibus hujusmodi nomen dederint, piorum sui instituti operum exercitio ferventius incumbant, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui nunc ex dictis confraternitatibus in posterum ingrediantur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint plenariam, ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus, et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque pœnitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam: nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictæ confraternitatis confratribus, et consororibus etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui prædictæ confraternitatis ecclesiam, seu cappellam, vel oratorium die festo principali dictæ confraternitatis per eosdem confratres semel tantum eligendi, et ab ordinario approbandi a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

*Aliæ indulgentiæ lucrandæ a fratribus ipsarum confraternitatum.*

§. 5. Insuper dictis confratribus, et consororibus vere pariter pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, ecclesiam, seu cappellam, vel oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, seu dominicis diebus per memoratos confratres semel tantum etiam eligendis, et ab eodem ordinario approbandis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus quo die prædictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas; quoties vero missis, et aliis divinis officiis in ecclesia, seu cappella, vel oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis; seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam confratrum, et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiæ sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanæ ad id signo dato, semel orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum, et consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes præcepta Dei, et ea, quæ ad salutem sunt necessaria docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

*Applicatio indulgentiarum etiam per modum suffragii.*

§. 6. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam in Domino indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

*Revocatio similium indulgentiarum, si quæ existerent.*

§. 7. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus, et consororibus præmissa peragentibus, aliqua alia indulgentia similis perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit, prout per præsentes apostolica auctoritate revocamus: utque si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quævis aliæ literæ apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullæ sint.

*Derogatio contrariorum.*

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Clementis pp. VIII. prædecessoris Nostri duas confraternitates ejusdem instituti in eodem loco erigi prohibente, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta augusti millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 12 augusti 1777. Anno III.

## CXXXXVI.

**Erectio cathedralis ecclesiæ sancti Deodati**

Pius episcopus

Servus servorum Dei;

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Relata semper ab Ecclesia militanti in verbo illius, qui firmam supra petram ædificavit eam, contra principem tenebrarum victoria, quemadmodum per inducta quandoque inter populos in mortis umbra sedentes Crucis vexilla, quandoque vero per novos etiam in sinu credentium episcopatus in medio aliorum, veluti nova fidei tentoria, ac propugnacula erectas ad resistendum validius humani generis inimico, ac custodiendam, et defendendam civitatem sanctam, ac vineam Domini electam fuit omni tempore non sine prædecessorum Nostrorum gaudio, ac spirituali Christifidelium profectu ac solamine recognita; Nos ita, quos licet immerentes regimini ejusdem Ecclesiæ constituit Dominus, illam trophæis in dies illustrioribus quantum in Nobis est, et cum ipso Domino possumus, ditare cupientes, dum animo revolvimus, ac deprehensum habemus quam facile sit ex nonnullarum diœcesum amplitudine, ut oriantur abusus, quamque difficile eos inde sic ortos eliminare, et evellere: ex debito idcirco pastoralis officii, ne in medium prodeant, apostolicæ potestatis gladio praeeuntes cuicumque incommodo per novarum cathedralium erectiones, comitante principum christianorum pietate, viam præcludere satagimus, ut tandem benedicente Domino, qui exiguis incrementum dat, labores Nostros omnes populi tenebris licet ignorantiæ obvoluti, quod paravit Deus ante faciem eorum, lumen propius videntes majori et condignos in Ecclesia hujusmodi bonorum operum fructus, ac virtutum flores Altissimo cum gratiarum actione uberius valeant exhibere.

Exponitur ratio, cur nova erectio sit deveruenda.

§. 2. Cum itaque sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum, et Navarræ regis christianissimi Nobis per suas literas nuper facta, accepimus, diœcessis Tullensis mille et sexcentarum villas inter, ac oppida, et pagos, seu parochiales ecclesias complectatur, illiusque proinde jurisdictionis ea sit amplitudo, et extensio, ut unus tantum episcopus tam gravi ferendo oneri impar existat, et propter quam habitatoribus, et commorantibus in infrarcripta Lotharingiæ parte, maxime vero montium das Voges nuncupatorum incolis, qui cum hæreticis finitimi existunt, varia in spiritualibus detrimenta obvenire soleant, ea quidem ratione, quod pro tempore existens episcopus Tullensis non nisi raro pastoralem ejus visitationem per montes ipsos, stante tum notabili civitatis Tullensis a dictis montibus distantia, tum etiam ad illos pro aspero itinere accedendi difficultate potest explere: et detrimenta hujusmodi facile removerentur, et orthodoxa religio majus quoque incrementum susciperet, si unus in oppido infrascripto episcopatus erigeretur.

Descriptio civitatis s. Deodati.

§. 3. Oppidum vero civitas nuncupatum sancti Deodati in Lotharingia positum Nullius diœcesis provinciæ Trevirensis, quod, quemadmodum et illius totus districtus, seu vallis ab ipso sancto Deodato, dum viveret in terris episcopo Nivernensi collegiatæ ecclesiæ infrascriptæ fundatore excelso traxere nomen, satis amplum existat, ac quinque millium habitatorum numero referatur: et in eo inter cætera infrascripta regimen, seu præfectum ac sedes præsidialis novem officialibus, præside scilicet, ac uno generali, et altero particulari locumtenentibus, ac uno assessore, unoque regio consiliario, nec non pariter regiis advocato et procuratore, ac notario denique, et hypothecarum nuncupato conservatore constans, et in sua jurisdictione alias octo præfecturas seu regimina complectens, cum suis consulari palatio, et qui illud componunt, municipalibus officialibus: ac peculiaris aquarum, et nemorum jurisdictio, cui quinque præpositi sunt officiales: ac una itidem mareschallorum phalanx, uno scilicet exempto, seu prætoriano immuni, ac quatuor equitibus constituta: ac unus latinæ linguæ publicus professor, et duæ inferiores, una videlicet per fratres congregationis vulgo *de saint Jon* nuncupatos pro pueris, et altera scholæ per sorores scholarum etiam nuncupatas respective erectæ pro puellis in primis legendi, supputandique institutionibus seorsim imbuendis respective fundatæ: ac domus insuper seu officium charitatis nuncupatum pro publica eleemosynarum in pauperes ejusdem oppidi facienda distributione sub pro tempore existentis vicarii generalis infrascripti præpositi re-

gimine, et inspectione instituta, seu institutum: et unum viginti quatuor cubilia continens hospitale cum inibi instructo sacello pro eorumdem oppidi et vallis aegrotis pauperibus erectum, quod per infrascriptos capitulum, et canonicos administrari, ac per tres ex sororibus hospitalariis deserviri solet, et alia demum pia opera per alias tres ex aliis pro tempore existentibus sororibus congregationis sancti Vincentii a Paulis, pro visitandis oppidi et vallis prædictorum infirmis, præsertim illis egestate versantibus, opportunis etiam medicamentis subministrandis provide quidem fundata respective reperiantur.

Nobilitas ecclesiæ collegiatæ.

§. 4. Et in eo præter duas canonice erectas laicorum confraternitates, et unam parochialem ecclesiam sancti Martini, sæcularis et insignis adest collegiata nobilis nuncupata, quæ parochialis existit ecclesia sancti Deodati tribus navibus extructa, per quarum alteram, quæ ducit ad claustrum ubi infrascriptorum canonicorum adest sepulcrum, ad inferiorem Beatæ Mariæ Virgini dicatam, in qua præsenti infracripti capitulum, et canonici divina bis in annum peragunt officia descenditur ecclesiam: ac quatuordecim majori et præpostero comprhensis altaribus exornata, cum fonte baptismali, choro, organo, campanis, sacrisve suppellectilibus ad divina peragenda et pontificalia etiam exercenda munia sufficienter instructa, in qua integrum ejusdem sancti Deodati corpus in urna ex argento quinquaginta librarum pondere congesta reconditur; ac cujus inter præpositos, qui pro tempore dudum fuere sanctus Leo pp. IX. prædecessor Noster, ac tres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, tres itidem archiepiscopi, et novem episcopi, pluresque insimul de claro Lotharingio sanguine principes recensentur: et cujus collegiatæ ecclesiæ pro tempore existens præpositus præfecturam dignitatem inibi principalem exercentem, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personæ idoneæ Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad eumdem Ludovicum regem vigore indulti dicto Ludovico regi apostolica auctoritate concessi spectat et pertinet, obtinens prelatus ordinarius simul et comes vulgo *de saint Diez* nuncupatus existit, ac jurisdictionem quasi episcopalem in oppido et districtu seu valle prædictis exercet, ac synodum convocare, et in ea examinatores deputare consueverit, nec non dominus etiam in temporalibus uti cessionarius regii dominii in una ejusdem oppidi parte esse dignoscitur.

Excellentia districtus, et privilegia quibus fruitur.

§. 5. Capitulum vero, (quod uti dominus pariter in temporalibus alterius, seu majoris ejusdem oppidi partis, totiusque illius districtus prædicti, seu vallis hujusmodi jure gaudet in iis supremæ, et mediæ, ac inferioris respective justitiæ vulgo *de hante moyenne*, *et basse justice* nuncupatæ, ac solus est decimator, et primitivus parochus in oppido et districtu seu valle prædictis, et duo habet tribunalia, unum videlicet sub Petræ audacis nomine vulgo = *La Pierre hardie* nuncupatæ, in quo singulæ ejusdem capituli subditorum causæ in prima deciduntur instantia, ac alterum tribunalia hujusmodi sub vulgari vocabulo *du Buffer* respective cognita, ad quod causarum earumdem feruntur appellationes, et in quo illius assessores ad et juxta utrius in jure doctoris sensum judicium ferunt, ac cujus capituli et præpositi prædicti collectivo nomine per communes eorum respective officiales dicti oppidi gubernium, seu regimen exercetur) decano scilicet qui ejusdem capituli caput existit, eique præest, quique decanatum secundum, ac cantore qui cantoriam tertiam, ac scholastico, qui scholastriam quartam respective in dicta collegiata ecclesia dignitates existentes, ad quem, et quas dum illæ pro tempore etiam vacant, electio personarum idonearum de gremio dicti capitnli, et canonicorum infrascriptorum dictæ collegiatæ ecclesiæ desumendarum ad eosdem capitulum et canonicos pro tempore existentes collegiatæ ecclesiæ hujusmodi, cessantibus tamen reservationibus, et affectionibus apostolicis etiam spectat, et pertinet.

Capituli insignitas.

§. 6. Ac qui decanatus, et quæ cantoria, ac scholastria hujusmodi respective per unum et eumdem ex prædictis infrascriptis canonicis una cum suis canonicatu, et præbenda ipius collegiatæ ecclesiæ absque dispositione apostolica obstineri solent; nec non viginti quatuor canonicis, qui totidem canonicatus, totidemque præbendas, qui, et quæ nonnisi personis quatuor probata ex latere paterno graduum nobilitate præstantibus conferri debent, ac ad quos, et quas dum illi et illæ in octo videlicet Sedi apostolicæ reservatis mensibus pro tempore similiter vacant, nominatio quoque personarum idonearum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, ut supra facienda prædicto Ludovico regi vigore similis indulti eidem Ludovico regi dicta apostoli-

ca auctoritate concessi: et quorum, ac quarum etiam dum illi et illæ in quatuor nempe cujuslibet anni mensibus ordinariis collatoribus competentibus pro tempore vacant, collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio ad eosdem pro tempore existentes ipsius collegiatæ ecclesiæ capitulum, et canonicos, excluso tamen supradicto præposito, turnatim respective itidem spectat et pertinet, respective obtinent; quique ex indulto eis pariter apostolica auctoritate prædicta concesso rocchetum, cum suis manicis, ac cappam magnam lanei panni nigri coloris quadam hoteromalli vulgo *velours* nuncupati tænia refertam: nec non mozzettam cum caputio ad talos usque descendente, cum pellibus in ejus anteriori parte, præpositus videlicet armellinis, decanus, vero, et cantor, ac scholasticus antedicti, armellinis pariter et cinerei coloris mixtis pellibus: canonici demum præsenti similibus pellibus cinerei coloris hujusmodi tantum hyemali, æstivo autem temporibus simile rocchetum, et almutam respectivo tamen earumdem pellium colori analogam deferunt, et gestant, componitur; ac mensam capitularem ab ea tamen supradicti præpositi divisam, et seperatam, satis redditibus dotatam: ac sacristiam, et fabricam pro ordinariis occurendis ejusdem collegiatæ ecclesiæ reparationibus erectam cum suis respective annexis proventibus, habet; et in ipsa collegiata ecclesia præter capitulum hujusmodi quinque etiam canonici honorarii existunt; nec non unum administratoris parochialis ecclesiæ prædicti oppidi eidem mensæ capitulari, dudum perpetuo canonice unitæ: ac aliud vicarii ejusdem parochialis ecclesiæ sancti Martini, qui vicarius choralis etiam existit; ac alia quatuor totidem vicariorum choralium respective nuncupatorum: ac aliud subcantoris; ac reliquum officia ad nutum tamen eorumdem capituli et canonicorum amovibilia secretarii, bibliothecarii, qui simul claustri parochus, seu capituli, et canonicorum hujusmodi confessarius existit, ac sedem etiam habet in choro dictæ collegiatæ ecclesiæ respective reperiuntur erecta.

Musici cantores, et symphonistæ.

§. 7. Ac denique unus phonascus, et unus organista: nec non sex chori nuncupati adolescentuli, et decem musici cantores, sex itidem symphonistæ, ac duo clerici sacristiæ, duoque pariter scoparii, ac tres campanarii, aliique inservientes sunt ex redditibus ejusdem mensæ capitularis mensuali mancipati stipendio; ita quod ob præmissa dicti oppidi ea sit insignitas, dictæque collegiatæ ecclesiæ ille sit splendor, ut jure merito dignum reputari posset, quod oppidum ipsum civitatis episcopalis titulo, et honore donetur, prædicta vero ecclesia collegiata pro ejus celebritatis complemento ad cathedralis ecclesiæ statum, et dignitatem sublimetur.

Desiderium Ludovici regis pro erectione episcopatus consequenda.

§. 8. Et ipse Ludovicus rex, qui de orthodoxæ fidei propagatione semper existit, et in dies studiosus eo magis ostenditur, pro catholici principis pietate considerans quanta obveniret in populis sibi subditis non solum in prædicto ejusdem oppidi, sed in aliis etiam infrascriptis districtibus per Nos ut infra dismembrandis respective degentibus in spiritualibus utilitas, ac etiam commodum et consolatio ex nova in dicto oppido unius episcopatus erectione, ob id ex sui regii cordis intimo tam utile opus in ecclesia Dei alias ut infra felicibus incœptum auspiciis post tot annorum curriculum rite perficere, et ad effectum, coadjuvante Domino, perduci vehementer exoptet.

Votum congregationis consistorialis, quæ censuit constare de causis pro erectione.

§. 9. Nos igitur, qui attendentes, quousque, et sub die vigesima octava martii anni Domini millesimi septingentesimi deciminoni congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præposita, audita relatione eorum, quæ fuerant ex processu in partibus tunc desuper confecto deducta, aliisque mature perpensis, censuit constare de causis, propter quas ad erectionem, videlicet, ejusdem oppidi in civitatem episcopalem dictæ collegiatæ ecclesiæ cathedralem deveniri posset: prout in decreto ipsius congregationis desuper edito, et a felicis recordationis Clemente pp. XI. etiam prædecessore Nostro tunc approbato plenius continetur, erectionem ipsam ac omnia, et singula per Nos ut infra disponenda catholicæ fidei propagationi, Christifidelium ædificationi, et spirituali consolationi, divinique cultus incremento valde profutura confidimus, eximium ejusdem Ludovici regis zelum, ac religiosa desideria plurimum in Domino laudantes, eaque apostolicæ Nostræ benignitatis ministerio prosequi volentes.

Ecclesiæ collegiatæ immutatio.

§. 10. Motu proprio, et ex certa scientia collegiatam ecclesiam prædictam illusque titulum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam collegiatæ; ita ut illa ex nunc collegiata esse desinat, et utitalis amplius

denominari, inscribi, censeri, et reputari non possit.

Suppressio præposituræ, et jurisdictionis illius.

§. 11. Nec non præposituram hujusmodi, et illi, ut præfertur, annexam jurisdictionem quasi episcopalem; illiusque titulum collativum, ac simile nomen, denominationem, naturam, et essentiam, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, et de cætero uti talis in titulum collativum, seu commendam quavis auctoritate conferri, aut commendari, seu de illa quovis modo disponi amplius nequeat: et si illam deinceps ullo unquam tempore conferri, seu impetrari, aut commendari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, commendæ, aliæque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factæ, nullæ et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nemini que suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant, ex nunc de dicti Ludocivi regis, ac dilectorum filiorum modernorum ejusdem collegiatæ ecclesiæ præpositi, ac capituli, et canonicorum consensu apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Oppidum s. Deodati in civitatem episcopalem erigitur.

§. 12. Illisque sic per Nos suppressis, et extinctis, prædictum oppidum in civitatem episcopalem ejusdem sancti Deodati, ut antea nuncupandam, cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt, quomodolibet in futurum.

Collegiata in ecclesiam cathedralem vertitur.

§. 13. Dictam vero collegiatam ecclesiam per Nos, ut præfertur, suppressam, et extinctam, de apostolicæ potestatis plenitudine in cathedralem ecclesiam sancti Deodati etiam nuncupandam archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti suffraganeam, illique metropolitico jure subjectam, ac sub titulo ejusdem sancti Deodati ut prius extituram: et in ea sedem, ac (ex hujusmodi per Nos, ut præfertur, suppressa, et extincta præpositura) dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo sancti Deodati pariter nuncupando, qui simul et comes ipsius sancti Deodati existat, ac eidem ecclesiæ in cathedralem, illiusque oppidi in civitatem per Nos ut infra erigendæ, et diœcesis prædicti sancti Deodati per Nos etiam, ut infra, constituendæ præsit, abbates inferiores, prælatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, exerceat, cum suis capitulo, sigillo, area, mensa episcopali, cæterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, prerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliæ cathedrales ecclesiæ illarum partium, earumque præsules quomodolibet (non tamen titulo oneroso, seu ex indulto, aut privilegio particulari) similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum de ipsius Ludovici regis, ac eorumdem modernorum ejusdem collegiatæ ecclesiæ sic per Nos, ut præfertur suppressæ, et extinctæ præpositi, ac capituli, et canonicorum respective consensu prædicto ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, dictique sancti Deodati honorem, nec non fidei catholicæ exaltationem apostolica auctoritate prædicta etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Erectio dignitatum capituli.

§. 14. Nec non supradictum capitulum ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ et extinctæ in capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati similiter per Nos, ut præfertur, erectæ, et extinctæ: dictum vero decanatum, qui secunda, in majorem post pontificalem hujusmodi, ut præfertur erectam, ac prædictam cantoriam, quæ tertia, in secundam, ac dictam scholastriam, quae quarta respective dignitates in dicta collegiata ecclesia per Nos, ut præfertur, suppressa, et extincta hactenus, ut putatur, existere, in tertiam respective etiam dignitates: easque nunc, et pro tempore respective obtinentes in decanum, et cantorem, ac scholasticum: nec non eosdem vigintiquatuor canonicatus, totidemque præbendas, eorumque, et earum pariter modernos, et pro tempore existentes possessores in totidem canonicatus, et præbandas totidemque canonicos ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati: parique modo supradicta administratoris, et vicariorum, ac subcantoris, nec non secretarii, bibliothecarii respective officia, in totidem officia in ipsa chatedrali ecclesia sancti Deodati per Nos ut præfertur, erecta, sita, et illa pariter nunc et pro tempore respective obtinentes in ejusdem parochialis ecclesiæ dicti oppidi in civitatem episcopalem etiam per Nos, ut putatur, erecti ad-

ministratorem in prædicta cathedrali ecclesia sancti Deodati sic erecta, et in illius respective vicarios chorales itidem nuncupandos, ac subcantorem, et secretarium, bibliothecarium, seu parochum claustri ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati sic per Nos, ut præfertur, erectæ, et nunc perpetuis futuris temporibus dicta apostolica auctoritate substinuimus, et subrogamus: ac subrogatas, et subrogatos, nec non subrogata esse, et fore.

Concessio privilegiorum.

§. 15. Ipsosque omnes, et singulos modernos tam decanatum, et cantoriam, ac scholastriam, quam singulos canonicatus et præbendas, nec non officia per Nos, ut præfertur, subrogatas, et subrogatos, ac subrogata hujusmodi respective obtinentes in eorum respective dignitatum, ac canonicatuum, et præbendarum, nec non officiorum etiam, ut præmittitur, subrogatarum, et subrogatorum hujusmodi per eos ad præsens respective habita possessione absque alia eis desuper respective facienda provisione: et in eadem fructuum, redditnum, et proventuum, quos de præsenti etiam respective percipiunt, fruitione libere, et licite remanere posse, et debere: salvis, firmis, et illæsis perpetuo remanentibus favore eorumdem capituli, et canonicorum dictæ collegiatæ ecclesiæ, ut prefertur, suppressæ in capitulum, et canonicos ejusdem sic erectæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut putatur, subrogatorum hujusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, insigniis, prærogativis, honoribus, indulgentiis, aliisque gratiis quibuscumque tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis: præsertim vero correctivam, et contentiosam jurisdictionem super omnibus et singulis tam dignitates hujusmodi respective obtinentibus, quam canonicis, aliisque membris, et deservitoribus ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, ac in ecclesiam cathedralem etiam per Nos, ut præfertur, erectæ, ut prius exercendi: nec non coadjutores in respectivis dignitatibus, ac canonicatibus, et præbendis ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur erectæ cum futura in illis respectiva successione ab apostolica Sede, ut antea pro tempore petendi, præstito tamen interesse habentium consensu: ex aliis respective juribus eisdem capitulo, et canonicis apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis, ac etiam de jure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus (dummodo tamen sint in usu, et revocata non sint, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, nec non juribus, et dignitati episcopalibus essentialiter non repugnent) in omnibus et per omnia, perinde ac si status collegialitatis hujusmodi in dicta cathedrali ecclesia sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erecta minime immutatus foret: admissa tamen subjectione eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ nunc, et pro tempore existentium ordinariæ jurisdictioni ipsius futuri episcopi sancti Deodati, prout illa sibi in vim præsentis erectionis competere debet, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo decernimus, et declaramus.

Divisio decimarum.

§. 16. Ipsosque insuper modernos capitulum, et canonicos dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, ut ipsi veterem, quo hactenus præfulserunt, atque in honore semper habiti fuerunt, splendorem etiam deinceps conservare valeant, ulteriori benignitate prosequi volentes: specialiter et expresse, quatenus opus sit, et eorumdem modernorum, et pro tempore existentium capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ favorem, prædictam per eos hucusque habitam qualitatem solius et unici parochi primitivi, ac solius et unici etiam decimatoris in districtu prædicto, seu prædicta valle ejusdem sancti Deodati: et respective jus in eo, vel ea, percipiendi grossas decimas, ex quibus, ut similiter accepimus, ipsi capitulum, et canonici pro tempore existentes dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ nonnullas statutas in vim decreti consilii status tribuere tenentur pro tempore existentibus vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum ejusdem districtus, seu vallis hujusmodi, et cum quibus vicariis perpetuis hujusmodi capitulum, et canonici pro tempore existentes prædicti minutas quoque decimas præsertim illas vulgo *pommes de terre* nuncupatas dividere solent: exceptis decimis unius videlicet ejusdem oppidi in civitatem episcopalem, ut præfertur erecti, et alterius parochialium ecclesiarum dicti sancti Martini in suburbio ejusdem oppidi in civitatem episcopalem hujusmodi sic erecti existen-

tis, attenta illarum unione eidem mensæ capitulari alias, ut pariter accepimus perpetuo canonice facta. Quarum quidem parochialium ecclesiarum pro tempore respective existentes administratores ab eisdem capitulo, et canonicis pro tempore existentibus ipsius cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ subrogatis hujusmodi congruam eorum respective portionem, ad tramites regiorum edictorum annuatim, ut etiam accepimus, recipiunt.

Jurisdictio temporalis ecclesiæ cathedralis.

§. 17. Parique modo ( dummodo tamen ad hoc prædicti Ludovici regis accedat assensus ) respectu scilicet eorumdem capituli, et canonicorum nunc, et pro tempore existentium dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ subrogatorum hujusmodi temporalem jurisdictionem prædictam, seu exercitium triplicis supradictæ temporalis justitiæ superioris videlicet, ac mediæ, et inferioris vulgo *haute moyenne, et basse justice*, ut præfertur, nuncupatæ, quam ipsi capitulum, et canonici dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ subrogati hujusmodi semper majori parte, seu duobus tertiis ejusdem oppidi in civitatem episcopalem, per Nos, ut præfertur, erecti, illiusque toto districtu prædicto, seu valle hujusmodi hactenus, ut præfertur, exercuerunt: respectu vero ipsius futuri pro tempore episcopi sancti Deodati similem temporalem jurisdictionem, quæ dictus etiam pro tempore exercens præpositus dictæ collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, ut præfertur, gaudebat super altera parte ejusdem oppidi in civitatem episcopalem similiter per Nos, ut præfertur erecti; in modum, ut temporalem ipsius oppidi in civitatem episcopalem hujusmodi per Nos, ut putatur, erecti gubernium vulgo *Police* nuncupatum per tam ejusdem pro tempore futuri episcopi sancti Deodati, quam dictorum capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ nunc, et pro tempore existentium respective officiales, qui corpus eorumdem municipalium officialium dicti consularis palatii, ut similiter accepimus, constituunt communiter, ut prius exerceri debeat, apostolica auctoritate prædicta itidem perpetuo confirmamus: et quoad futurum episcopum sancti Deodati pro tempore prædictum respective etiam perpetuo extendimus.

Reservatio juris apponendi sigilla ad effectum conficiendi inventaria.

§. 18. Ita tamen, ut iidem capitulum, et canonici nunc et pro tempore existentes ipsius cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ per hanc Nostram dictorum jurium confirmationem, in alio quoque jure, ut prius remaneant, apponendi sigilla ad effectum conficiendi inventaria: nec non computa examinandi in successionibus tam dignitates prædictas pro tempore obtinentium, et canonicorum prædictorum, quam dicti secretarii, bibliothecarii, et subcantoris, ac vicariorum hujusmodi pro tempore in capitularibus, et aliis respective domibus sub prædicta superiori justitia eorumdem capituli, et canonicorum pro tempore existentium dictæ cathedralis ecclesiæ, per Nos, ut præfertur erectæ subrogatorum hujusmodi existentibus respective decessurorum, veluti alias ex supremæ curiæ prædictæ, nec non consilii status hujusmodi respective decretis sub diebus scilicet, sexta septembris anni Domini 1732 ac vicesima martii, et duodecima junii respective mensium anni ejusdem Domini 1736 respective editis, ut pariter accepimus, statutum fuit: ac pro eo, quod capitulum, et canonici ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati, per Nos, ut præfertur erectæ subrogati hujusmodi in eodem supradicto jure etiam pro tempore existentis præpositi dictæ collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ et extinctæ, qui inter easdem dignitates obtinentes prædictos ante suppressionem, et extinctionem hujusmodi, ut præfertur, comprehendebatur, hactenus extiterunt; simili modo capitulum, et canonici dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ nunc et pro tempore existentes prædicti etiam deinceps, quoad successiones ipsius pro tempore futuri episcopi sancti Deodati, in dicto jure valeant remanere.

Facultas eligendi officialem, et promotorem ad effectum instruendi processum pro criminibus.

§. 19. Admittentes præterea favore eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ nunc et pro tempore existentium, quod ipsi pro supradictæ correctivæ jurisdictionis exercitio possint unum officialem, et unum promotorem de eorum gremio pro tempore ut prius nominare, prævia tamen approbatione ipsius pro tempore futuri episcopi sancti Deodati, ad effectum instruendi processus in

alicujus criminis eventum, ita tamen ut aliqua ex eorumdem officialis, et promotoris sic pro tempore nominandorum, occurrente negligentia, possit pro tempore existens officialis ipsius futuri episcopi sancti Deodati eos prævia tamen monitione prævenire; ac de cætero promotor curiæ episcopalis sancti Deodati in posterum constituendæ etiam pro tempore existens a minima ex sententiis per decretum officialem eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ pro tempore pronunciandis appellare valeat.

*Jurisdictio episcopi quoad capitulum.*

§. 20. Ulterius quoque admittentes, ut in eventum, in quem idem pro tempore futurus episcopus sancti Deodati querelam aliquam contra, vel ejusdem capituli membrum aliquod, seu quemdam ex prædictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur erectæ subditum sit in casu ferendi, id prædictus pro tempore futurus episcopus sancti Deodati per se ipsum, seu per suos vicarios agere debeat; in modum, ut quodcumque voluntariæ jurisdictionis genus, quam ipse pro tempore futurus episcopus sancti Deodati super capitulum, et canonicos dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, poterit exercere, sibi vel suis vicariis prædictis personale semper existat.

*Prohibitio immutandi cæremonias, et ritus.*

§. 21. Quodque idem futurus pro tempore episcopus sancti Deodati nec breviarium, nec cæremonias, et ritus hactenus in dicta collegiata ecclesia per Nos, ut præfertur suppressa, et extincta, et in dictam cathedralem ecclesiam sancti Deodati etiam per Nos, ut præfertur, erecta uti solita, nisi de consilio, vel consensu eorumdem modernorum, et pro tempore existentium capituli, et canonicorum ipsius cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ immutare non possit juxta morem, et consuetudinem aliarum cathedralium ecclesiarum in regno Franciæ consistentium; quin imo cum eis, vel eorum deputatis circa ordinem, seu regulamentum publicarum precum, aliaque diversa objecta de more capitulis, et canonicis aliarum cathedralium ecclesiarum praeventive proponenda conferre teneatur.

*Divinorum officiorum distributio.*

§. 22. Et insuper attento, quod dictorum canonicorum numerus in dicta cathedrali ecclesia sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erecta ille non est, qui plures ex eis a divinorum officiorum inibi peragendorum assistentia simul abesse patiatur: dicta apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, atque decernimus, ut ultra duos canonicos ejusdem cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, servitio regalium cappellarum, ac domorum addici pro tempore non possint; eo magis quia Nos certam fiduciam habemus, quod eximia dicti Ludovici regis pietas domus Dei decorem, et in ea divinum cultum magis magisque semper augere in votis habens majorem numerum canonicorum pro servitio cappellarum, et domorum prædictorum ob præmissam causam impendi non permittet: qui vero duo canonici dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ eisdem cappellis, et domibus regalibus pro tempore addicti licet absentes a dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta, tamquam præsentes habebuntur.

*Præcipitur episcopum duos tantum canonicos sumere pro se posse.*

§. 23. Volentes etiam, parique apostolica auctoritate similiter decernentes, ut eadem de causa idem pro tempore futurus episcopus sancti Deodati nonnisi alios duos canonicos tantum ejusdem cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ de comitatu nuncupandos sibi sumere valeat. Qui itidem duo postremi canonici de comitatu hujusmodi licet absentes ab ipsa cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta, præsentes nihilominus debebunt quoque reputari.

*Privilegia, et prærogativæ quartæ, et quintæ dignitatis cathedralis ecclesiæ.*

§. 24. Ac propterea, ad hoc, ut dicta cathedralis ecclesia sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erecta majori ministrorum numero decoretur; in ea unum videlicet, qui quarta, et alterum archidiaconatus, qui quinta inibi etiam dignitates existant, eamque denominationem habeant, quosque futuris pro tempore respective obtinentibus ea munera, et onera incumbant, quam, et quæ eidem futuro episcopo sancti Deodati in eadem cathedrali ecclesia sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erecta primo instituendo magis videbuntur convenire, et ab ea respective fuerint ejus arbitrio primo, et absque inde variatione injuncta: et quorum archidiaconatuum per Nos, ut infra, erigendorum, et instituendorum tam a primæva illorum erectione, et institutione infrascriptis respective vacantium, quam etiam in posterum semper et quandocumque illos etiamsi in octo cujuslibet anni mensibus dictæ Sedi apostolicæ reservatis ex personis illos pro tempore respective obtinentium quovis modo vacare contigerit, collatio, pro-

visio, et omnimoda alia dispositio ad eumdem pro tempore futurum episcopum sancti Deodati, sub infrascriptis tamen modo, et forma spectet, et pertineat pro duobus presbyteris futuris ipsa cathedrali ecclesia sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erecta archidiaconis, qui vel de nobili genere procreati, vel potius gradu magisterii in theologia, vel doctoratus, aut licentiaturæ in decretis in aliqua approbata studiorum generalium universitate, prævio rigoroso examine, ac alias servatis servandis, insigniti (quod pariter ipsius futuri episcopi sancti Deodati primo instituendi arbitrio semel itidem statuendum erit) debeant esse: ac iisdem indultis, honoribus, prærogativis, exemptionibus, cæterisque gratiis, et privilegiis quibus aliæ dignitates ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, respective nunc et pro tempore obtinentes gaudent de præsenti, ac gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, pariformiter, et absque ulla prorsus differentia perpetuo etiam gaudere; ac sedem in choro ejusdem cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ post eumdem illius scholasticum respective habere valeant. Quique tamen duo futuri pro tempore archidiaconi ex dicta mensa capitulari ejusdem cathedralis ecclesiæ, per Nos, ut præfertur, erectæ nullo modo participes sint; sed eos tantum annuales redditus percipere respective debeant, qui ex dotatione eis in totidem fundis stabilibus in posterum respective assignanda provenient, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo erigimus, et instituimus: cum hoc tamen quod quotiescumque unius, et alterius archidiaconatuum, per Nos, ut præfertur, erectorum, et institutorum hujusmodi respective vacatio in ipsis octo cujuslibet anni Sedi apostolicæ prædictæ reservatis mensibus evenire contigerit, idem pro tempore futurus episcopus sancti Deodati in literis suarum collationum, et provisionum de uno, et altero archidiaconatibus per Nos, ut præfertur, erectis prædictis expresse debeat injungere futuris de illis pro tempore per eum respective provisis onus impetrandi infra sex menses ex tunc proximos ab eadem apostolica Sede novas de dictis archidiaconatibus per Nos, ut præfertur, erectis respective provisiones: ipsique vero de eisdem archidiaconatibus, ut præfertur, erectis, pro tempore per dictum futurum episcopum sancti Deodati, sic, ut præfertur, provisi in vim hujusmodi injunctionis literas apostolicas novæ respective provisionis hujusmodi sub plumbo expediendas infra sic præscriptum tempus hujusmodi ab eadem apostolica Sede, sub pœna nullitatis provisionis ab ipso pro tempore futuro episcopo sancti Deodati ex tunc respective obtentæ, ac possessionis inde respective adeptæ, nec non fructuum, redituum, et proventuum ex dictis archidiaconatibus, per Nos, ut præfertur erectis respective perceptorum restitutionis reportare, ac jura cameræ, et cancellariæ apostolicis, et aliis propterea debita persolvere omnino debeant, et teneantur.

§. 25 Cupientes autem, ut eidem mensæ episcopali sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ satis provideri queat, ut dictus pro tempore futurus episcopus sancti Deodati præsulis dignitatem decenter tenere valeat, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus unionem, annexionem, et incorporationem monasterii abbatiæ nuncupati Stivagiensis, vulgo *d'Etival* nuncupati reformati ordinis Præmonstratensium Nullius etiam diœcesis, illiusque mensæ abbatialis fructuum, redituum, proventuum, bonorum, et jurium quorumcumque alias, ut pariter accepimus, mensæ episcopali Tullensi apostolica auctoritate perpetuo factas de venerabilis fratris Nostri moderni episcopi, ac dilectorum etiam filiorum modernorum capituli, et canonicorum cathedralis ecclesiæ Tullensis respective consensu dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo dissolvimus. *Incorporationes factæ favore novi episcopatus, ad illius dignitatem amplian*[d]*am.*

§. 26. Illisque sic dissolutis monasterium Stivagiense hujusmodi, illiusque mensam abbatialem prædictam a dicta mensa episcopali Tullensi eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo sejungimus, et dismembramus. *Dismembratio monasterii Stivagiensis a mensa Tullensi.*

§. 27. Nec non aliud monasterium abbatiam pariter nuncupatam *d'Autrey* ordinis sancti Augustini Tullensis diœcesis, ad quod, dum illud pro tempore vacat, nominatio personæ idoneæ Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti prædicto facienda ad eumdem Ludovicum regem vigore similis indulti prædicto Ludovico regi dicta apostolica auctoritate etiam concessi spectat, et pertinet, quodque idem nuper modernus præpositus dictæ collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et exstinctæ in commendam ad sui vitam ex concessione, et dispositione apostolicis, ut etiam accepimus, ad *Monasterium D'Autrey ordinis s. Augustini supprimitur.*

præsens obtinet, ac cujus fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera sec. co. est. valorem annuum, ut pariter accepimus non excedunt, illiusque mensam abbatialem, nec non titulum etiam collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam, ac consuetudinem illud commendandi; ita quod illud pariter ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de cætero uti tale in titulum collativum, seu commendam quavis auctoritate conferri, aut commendari, seu de illo quovis modo disponi amplius nequeat; et si illud deinceps ullo unquam tempore conferri, seu impetrari, aut commendari, vel alias de illo disponi contigerit, collationes, impetrationes, commendæ, aliæque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factæ, similiter nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant, ex nunc de dicti Ludovici regis, nec non ejusdem nuper moderni prædictæ collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ præpositi moderni ejusdem monasterii *d' Autray*, ut præfertur, nuncupati abbatis commendatarii respective consensu, dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque supprimimus, et extinguimus.

Applicatio bonorum monasterii de Moyen moutier nuncupati.

§. 28. Ac demum ex abbatiali, et conventuali respective mensis alterius monasterii de Mediano vulgo *de Moyen moutier* similiter nuncupati ordinis sanctorum Vitoni, et Hydulphi nullius itidem diœcesis prædictæ provinciæ Trevirensis, bona, jura, redditus, census, decimas, obventiones et emolumenta infrascripta videlicet: in oppido, et banno de Roan nuncupato dominium, justitiam cum omnibus juribus, redditibus, censibus, et emolumentis ab eadem justitia dependentibus, et provenientibus, pro ea tamen parte, quæ ad idem Medianum monasterium spectant, et pertinent, ac cum ædibus et corte dominicali, atque prædio eidem corti annexo. Ac in loco de Montigriis decimas cum patronatu parochialis ecclesiæ, nec non prædio ibidem respective existentibus: ac in loco de Pexona alias decimas cum alio patronatu: ac in loco de Serres itidem nuncupato alias decimas cum similibus patronatu, et prædio ibidem respective sitis: ac in banno de Septem Abictibus vulgo *ban de Sapt* etiam nuncupato justitiam in plures incolas locorum, videlicet, *de Fontenelle* ac *de Ronaux*, et *de Chatay* respective nuncupatorum cum pluribus ex eadem justitia dependentiis, ac molendino, quod, ut etiam accepimus, in emphiteusim ad nonaginta novem annos antehac reperitur concessum cum sylva in dicto banno sita: itemque decimas ejusdem banni cum infrascriptis tamen conditionibus, et reservationibus: ac in loco *de Denissaire* etiam nuncupato dominium pariter et justitiam, cum omnibus juribus ex ea dependentibus, ac molendino in similem emphyteusim ad alios nonaginta novem annos, ut pariter accepimus, concesso: ac in loco *de Autrepierre* similiter nuncupato patronatum quoque illius parochialis ecclesiæ, cum tertia ejus decimarum parte: ac denique unum *de Glonville*, et alterum nudos, et alternos cum dilectis similiter filiis modernis, et pro tempora existentibus abbate, seu priore claustreli, et monachis monasterii sancti *Apry* nuncupati ejusdem sancti Benedicti, seu alterius ordinis patronatus *de Romenoville* respective nuncupatorum locorum respective parochialium ecclesiarum. Quæ quidem omnia moderni alias existentes abbas regularis, et monachi ipsius Mediani monasterii ad mensæ præposituralis ejusdem præposituræ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, ex tunc donec illa in dignitatem episcopalem hujusmodi erigeretur: et postquam illa, ut præfertur, sic erecta foret in dictæ mensæ episcopalis sancti Deodati respective commodum, et favorem capitulariter, ac publico mediante tunc desuper confecto instrumento, ac sub conditione: quod si aliquando contigisset ecclesiam sancti Joannis loci *de Hormont* parochiali ecclesiæ de dicto banno, de Septem Abictibus, ut præfertur, nuncupato annexam, et per parochum ejusdem loci deserviri solitam in parochialem itidem ecclesiam erigi, aut per vicarium inibi residentem administrari: eo casu portio competens, et congrua pro novi parochi, seu residentis vicarii administratoris hujusmodi substentatione ex decimis tantum dictæ parochialis ecclesiæ de Septem Abictibus, non autem ex decimis prædictæ ecclesiæ sancti Joannis ejusdem loci *de Hormont*, quæ integraliter ad ipsam mensam conventualem dicti monasterii pertinent, et quas illius abbas, et monachi tunc, prout etiam nunc existentes sibi expresse reservarunt, et reservant, desumantur: ac sub altera con-

ditione, quod taxa dicti monasterii Mediani in libris cameræ apostolicæ prædictæ descripta pro medietate saltem, sicuti bona, decimæ, et jura ut infra cessa prædictæ abbatialis mensæ dicti monasterii Mediani fructuum medietatem excedunt, occasione provisionis de illo personæ regulari illius ordinis expresse professæ pro tempore faciendæ imminui deberet, ut similiter accepimus, perpetuò cessa fuerunt: quatenus illa nondum apostolica auctoritate prædicta ab eisdem abbatiali, et conventuali respective mensis monasterii Mediani hujusmodi divisa, et separata fuerint, de dictorum modernorum abbatis regularis, et monachorum monasterii Mediani hujusmodi consensu, dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium perpetuo etiam dividimus, et dismembramus.

Applicatio bonorum aliorum monasteriorum suppressorum.

§. 29. Ac respective tamen dictum Stivagiense, ac prædicta mensa episcopali Tullensi, ut præfertur, sejunctum, quam prædictum *d'Autrey* etiam, ut præfertur, suppresum, et extinctum respective monasteria, eorumque respective mensas abbatiales hujusmodi cum omnibus, et singulis illarum respective fructibus, redditibus, proventibus, rebus, proprietatibus, bonis, juribus, et emolumentis universis: nec non bona, jura, dominia, decimas, molendina, patronatus, aliaque præmissa per eosdem abbatem, et monachos dicti monasterii Mediani, ut præfertur, cessa, et ab illius abbatiali, et conventuali respective mensis prædictis, etiam, ut præfertur, respective divisa, et dismembrata hujusmodi: ac denique omnes et singulos fructus, redditus, et proventus ejusdem præpositurae similiter, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ supradictæ mensæ episcopali sancti Deodati, per Nos, ut præfertur, erectæ; ita quod licet eidem futuro episcopo sancti Deodati, per se, vel alium, seu alios, ejus, ac dictæ mensæ episcopalis sancti Deodati, per Nos, ut præfertur, erectæ, nomine, omnium et singulorum unius videlicet Stivagiensis a mensa episcopali Tullensi prædicta, ut præfertur, sejuncti, in infrascriptum eventum tantum, et non alias, nec antea: alterius vero monasteriorum prædictorum *d' Autrey*, nec non præposituræ hujusmodi, per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti, ac suppressæ, et extinctæ respective fructuum, rerum, bonorum, proprietatum, jurium, et pertinentiarum quarumcumque: nec non bonorum, jurium, dominiorum, decimarum, molendinorum, patronatuum, aliorumque præmissorum a dictis abbate, et monachis ejusdem monasterii Mediani, ut præfertur, cessorum, ac ab illius abbatiali, et conventuali respective mensis prædictis, per Nos etiam, ut præfertur, divisorum, et dismembratorum hujusmodi veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, ac apprehensam hujusmodi perpetuo retinere: dictaque bona, jura, res, proprietates, decimas, dominia, molendina, et alia præmissa locare, dislocare, arrendare: fructus quoque, redditus, proventus, obventiones, et emolumenta prædicta tam ex Stivagiensi, a dicta mensa episcopali Tullensi, ut præfertur sejuncto, et *d' Autroy* respective monasteriis hujusmodi, ut præfertur suppresso, et extincto; quam ex prædicta præpositura similiter, ut præfertur suppressa, et extincta: nec non ex eisdem dominiis, decimis, molendinis, aliisque præmissis a prædictis abbate, et monachis ipsius monasterii Mediani, ut præfertur, cessis, et ab illius abbatiali, et conventuali, respective mensis hujusmodi etiam, ut præfertur, divisis, et dismembratis respective provenientes, et provenientia percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per ipsum futurum episcopum sancti Deodati pro tempore existentem omnibus, et singulis unius Stivagiensis a dicta mensa episcopali Tullensi, ut præfertur, sejuncti; ac alterius monasteriorum prædictorum *d' Autrey*, nec non præposituræ hujusmodi, ut præfertur, suppressi, et extincti, sic suppressæ, et extinctæ, si quæ sint respective oneribus, ac infrascripta annua solutione pensionis infrascriptæ per Nos, ut infra reservandæ in suos, ac dictæ mensæ episcopalis sancti Deodati per Nos, ut præfertur erectæ usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, de simili prædicti Ludovici regis, ac ejusdem moderni nuper præpositi prædictæ collegiatæ ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, dictorum modernorum episcopi, ac capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Tullensis, nec non modernorum abbatis titularis, et monachorum prædictorum dicti Mediani monasterii respective consensu, apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo unimus, applicamus, et appropriamus: ita tamen, ut nova mensa episcopalis sancti Deodati, per Nos, ut præfertur,

erecta hujusmodi respectu fructuum, redituum, et proventuum ipsius monasterii Stivagiensis a dicta mensa episcopali Tullensi, ut præfertur sejuncti, et eidem mensæ episcopali sancti Deodati, etiam, ut præfertur, initi, applicati, et appropriati, beneficio unionis, applicationis, et appropriationis prædictarum gaudere non possit, nisi postquam prædicta mensa episcopalis Tullensis de alterius monasterii sancti Mansueti vulgo *de saint Mansuy* ejusdem ordinis sancti Benedicti prædictæ congregationis sanctorum Vitoni, et Hydulphi extra muros, Tullensis diœcesis in compensationem dissolutionis, unionis prædicti monasterii Stivagiensis, illiusque disjunctionis, et dismembrationis ab ea, ut præfertur, respective factarum per Nos in posterum etiam uniendi fructibus, redditibus, et proventibus, possessionem, ac respective realem fruitionem adepta fuerit.

Destinatio domus pro residentia episcopi.

§. 30. Pro residentia autem, ac commoda et sufficienti habitatione ipsius futuri episcopi sancti Deodati pro tempore existentis in eodem oppido in civitatem episcopalem per Nos, ut præfertur, erecto, satis decens palatium, quod sicut etiam accepimus eidem præpositturæ, ut præfertur suppressæ, et extinctæ reperiebatur annexum, dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et assignamus.

Comprehensio nonnullorum locorum sub nova diœcesi.

§. 31. Ac præterea a diœcesi, scilicet, Tullensi prædicta eam ejusdem diœcesis, illiusque districtus, seu territorii Tullensis partem, quæ in civilibus districtibus, seu territoriis infrascriptorum bajulivatuum, vulgo *Bailliages* nuncupatorum, seu aliarum jurisdictionum etiam infrascriptarum comprehenditur: videlicet in uno ejusdem dicti sancti Deodati, ac alio *de Remiremont*, ac alio *de Buyeres*, ac alio *d' Epinal*, ac reliquo bajulivatibus *de Chaul sur Moselle*: et insuper in una alius *de Barney*, ac altera respective partibus, alius etiam bajulivatuum, seu districtuum vulgo *Bailliages*, ut præfertur, nuncupatorum *de Blamont*: ac insuper in præpositura, seu dominicali jurisdictione vulgo *de Rambervillers* nuncupata.

Aliæ dismembrationes favore ejusdem novæ diœcesis.

§. 32. Ac denique in territorio principatus vulgo *de Salm senones* similiter nuncupati: parique modo ab infrascriptis monasteriis Sedi apostolicæ prædictæ immediate subjectis, uno scilicet *de Domovre* ordinis ssmi Salvatoris: ac alio de Mediano supradicto: ac alio Stivagiensi prædicto, ac alio vulgo *de Chamoussey* itidem nuncupato prædicti ordinis, seu congregationis ejusdem ssmi Salvatoris canonicorum regularium: ac reliquo monasteriis vulgo *de Senones* pariter nuncupato ordinis ejusdem sancti Benedicti, ac prædictæ congregationis sanctorum Vitoni, et Hydulphi, quorum monasteriorum respective abbates, seu respective priores claustrales in territorio hujusmodi jurisdictionem quasi episcopalem hucusque exercuerunt: et cui respective jurisdictioni ad effectum erectionis prædictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, factæ sub certis tamen honestis, ac Nobis singillatim expressis conditionibus, et reservationibus, capitulariter, ac mediantibus etiam desuper respective confectis instrumentis, perpetuo respective cesserunt, apostolica auctoritate prædicta pariter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus.

Revocatio jurisdictionis episcopalis a locis dismembratis.

§. 33. Ac in eisdem bajulivatibus primodictis, et aliis etiam supradictis temporalibus jurisdictionibus, seu districtibus omnimodam jurisdictionem spiritualem, et ecclesiam sic, ut præfertur, respective dismembratam, divisam, et separatam: et sub ea respective consistentes, et consistentia parochiales (illas tamen, quæ in infrascripto concordato continentur) ac collegiatas, et alias ecclesias, ac monasteria (non tamen exempta) præposituras, præpositatus, prioratus, conventus, e alia quæcumque, quotcumque, et qualiacumque sæcularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia: nec non in prædictis territoriis, seu districtus utriusque sexus existentes personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque (non tamen exemptos) cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant, ab ordinaria jurisdictione modernorum (quorum ad hoc expressus accedit assensus) et pro tempore existentium episcopi, ac capituli, et canonicorum prædictorum dictæ cathedralis ecclesiæ Tullensis: et respective a jurisdictione quasi episcopali respectivorum etiam modernorum (quorum pariter ad hoc expressus respective accedit assensus) et pro tempore existentium abbatum, et conventuum prædictorum *de Domovre*, ac Mediani, et Stivagiensis, ac *de Chamoussey*, nec non Senonensis respective, ut præfertur, nuncupatorum monasteriorum hujusmodi, eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo disjungimus, et eximimus.

Applicatio favore novæ diœcesis.

§. 34. Dictumque oppidum sancti Deodati in civitatem episcopalem, ut præfertur, erectum, ac unum videlicet ejusdem sancti Deodati, ac alium de *Remiremont*, ac alium *de Bruyeres*, ac alium d' *Epinal*: ac reliquum bajulivatus hujusmodi vulgo *Bailliages*, ut præfertur nuncupatos *de Chatel sur Moselle*: ac insuper unam alius *de Barney* et alteram partem prædictas alterius etiam bajulivatuum prædictorum *de Blamont*: ac unum *de Demovre*; ac aliud de Mediano vulgo *de Moyen, moutier*: ac aliud *de Chamoussey*: ac aliud *de Senones*: ac reliquum territoria, seu districtus Stivagiensis, vulgo *d' Etival* respective, ut præfertur, nuncupata, seu nuncupatos hujusmodi: ac denique in prædicta præpositura, dictaque jurisdictione *de Rambervillers*, et in eisdem bajulivatibus, et districtibus, ac territoriis respective consistentes, et consistentia parochiales, in eodem tamen concordato infrascripto comprehensas, ac collegiatas, et alias ecclesias, monasteria (non tamen, ut præfertur exempta) præposituras, præpositatus, prioratus, conventus, aliaque supradicta sæcularia, et regularia beneficia quæcumque, eosdemque habitatores, et incolas, aliasque personas universas, tam seculares, quam ecclesiasticas, et quorumvis ordinis regulares hujusmodi novæ ecclesiæ episcopali sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, diœcesi, clero, et populo; ita quod liceat personæ eidem cathedrali ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, tam nunc a primæva illius erectione prædicta, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum præficiendæ, per se, vel alium, seu alios ejus nomine, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicto oppido sancti Deodati in civitatem episcopalem, ut præfertur, erecto, nec non in omnibus supradictis bajulivatibus, territoriis, districtibus, aliisque superius expressis partibus propria auctoritate libere apprendere, et apprehensam perpetuo retinere, ejusdem moderni, et pro tempore existentis episcopi Tullensis, nec non modernorum etiam, et pro tempore existentium abbatum, seu priorum claustralium respective monasteriorum hujusmodi, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, pari apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et assignamus, nec non supponimus atque subiicimus.

Jus nominandi episcopum regi, et successoribus ejus conceditur.

§. 35. Et insuper sperantes, quod in posterum idem Ludovicus rex pro ejus singulari in Deum pietate, de fidei catholicæ propagatione zelo eo magis incensus, alia similia, aut majora in ecclesia hujusmodi ad regis æterni gloriam, et honorem exhibere, et facere possit: eidem Ludovico regi, ejusque successoribus Franciæ regibus jus nominandi infra tempus a jure præfixum ad dictam ecclesiam episcopalem sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectam, tam hac prima vice a primaeva illius erectione, et institutione per Nos, ut præfertur factis pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen per obitum apud Sedem apostolicam prædictam etiam pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad nominationem hujusmodi eidem ecclesiæ episcopali sancti Deodati, per Nos ut præfertur erectæ in episcopum præficiendam.

Item jus nominandi ad dignitatem decanatus.

§. 36. Nec non simile jus nominandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti prædicto personam etiam ideoneam, ac de gremio eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, ad dictum decanatum in majorem inibi post pontificalem dignitatem hujusmodi, ut præfertur, subrogatum.

Dispositiones circa beneficia ecclesiastica, præsertim residentiam personalem non requirentia.

§. 37. Ac personas itidem idoneas ad quoscumque cura, cantuque carentes, et personalem residentiam non requirentes prioratus: nec non ad quæcumque etiam perpetua simplicia, dictamque residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica, tam ab uno *d' Autrey*, ut præfertur, suppresso, et extincto, quam ab altero monasteriis *d' Etival*, ut præfertur, respective nuncupatis a dicta mensa episcopali Tullensi etiam, ut præfertur, sejuncto, et eidem mensæ episcopali sancti Deodati respective, ut præfertur, unitis, respective dependentes, et dependentia, et quorum prioratuum, et beneficiorum, dum illi, et illa pro tempore vacabant, respective collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio: seu ad quos, et quæ etiam dum illi, et illa pro tempore vacabant, nominatio, seu præsentatio respective personarum idonearum, in eis ad nominationem, seu præsentationem hujusmodi per respectivos locorum ordina-

rios, aut alias respective instituendarum, ad respective pro tempore existentes abbates, commendatarios unius *d' Autrey*, et alterius monasteriorum hujusmodi *d' Etival*, ut præfertur, respective nuncupatorum ante illorum suppressionem, et extinctionem hujusmodi respective spectabat, et pertinebat quandocumque, et quotiescumque decanatum prædictum, ac prioratus, et beneficia hujusmodi de cætero quibusvis modis, ac illum, et illos, nec non illa nunc et pro tempore respective obtinentium personis etiam Nostris, et Romani pontificis pro tempore existentis prædicti, seu quorumvis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium etiam tunc viventium familiaribus, et continuis commensalibus, seu prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanæ curiæ officialibus, aut alias qualitates reservationem, et affectionem inducentes habentibus, seu per liberas etiam ex causa permutationis resignationes de illis in Romana curia prædicta, etiam in Nostris, dictique Romani pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet respective factas et admissas, aut assecutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu illorum, et illos, nec non illa pro tempore respective obtinentium in aliquo ex mensibus Nobis, et eidem Romano pontifici pro tempore existenti, dictæque Sedi apostolicæ reservatis, non tamen per obitum apud Sedem eamdem decessum, vel quamvis aliam dimissionem, ammissionem, privationem, religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, et qualitercumque vacare contigerit: cum hoc tamen, quod illæ parochiales ecclesiæ in dicto regno Franciæ tamen existentes, et sub prædictis bajulivatibus, seu districtibus, et territoriis pro diœcesi ejusdem sancti Deodati efformanda, ut præfertur, assignatis non comprehensæ ab eisdem *d' Autrey*, et Stivagiensi vulgo *d' Etival*, ut præfertur, respective nuncupatis monasteriis, dictaque præpositura sic respective suppressis, et extinctis, ac suppressa, et extincta dependebant: et quarum dum illæ pro tempore etiam vacabant respective collatio, provisio, et quævis alia dispositio, seu ad quas etiam dum illæ pro tempore vacabant respective nominatio, seu præsentatio itidem personarum idonearum in eis ad nominationem, seu præsentationem hujusmodi per eosdem respectivos locorum ordinarios, aut alias respective instituendarum, ad prædictos pro tempore existentes unius, et alterius posteriorum monasteriorum hujusmodi respective abbates commendatarios, ac respective præpositum illius collegiatæ ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ similiter respective spectabant, et pertinebant, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collationi, et dispositioni ordinariorum respective locorum in quibus parochiales ecclesiæ prædictæ reperiuntur, specialiter, et expresse reservatæ existant, simili apostolica auctoritate, pariter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

§. 38. Nec non jus nominandi hujusmodi tam ad dictam episcopalem ecclesiam sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectam, quam ad decanatum prædictum, nec non prioratus, et beneficia hujusmodi regium exercere: eidemque Ludovico regi, ejusque successoribus Franciæ regibus prædictis semper, et perpetuo in indemnitatem abdicati juris nominandi ad supradicta monasteria, ut præfertur, respective suppressa, et extincta competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juris nominandi regis hujusmodi obtinere: ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis præstantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione etiam per viam constitutionis, legis, regulæ cancellariæ apostolicæ, aut alias quomodolibet facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo unquam tempore, et ex quavis causa derogari posse, neque debere: ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de dicto decanatu, ac prioratibus, et beneficiis hujusmodi, atque ipsius Ludovici Regis, ejusque successorum regum prædictorum consensu, seu nominatione pro tempore factas, processusque desuper habendos, et inde sequenda nulla, et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse, ac pro nullis, et infectis haberi; nec jus aut coloratum titulum possidendi cuique per illa tribui decernimus. Declarationes circa jus nominandi favore regis, et successorum, reservatum.

§. 39. Injungentes tamen pro tempore respective nominatis a prædicto Ludovico Rege, ejusque successoribus regibus hujusmodi tam ad dictum decanatum, ac prioratus, et beneficia hujusmodi, quam ad supradictos viginti quatuor canonicatus, totidemque præbendas ejus- Reservatio expeditionis Bullarum favore nominatorum

dem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, in infrascriptis tamen octo mensibus pro tempore respective vacaturum, et vacaturos, nec non vacatura, aut ipsi nominati infra sex menses a die sic pro tempore factæ de eorum respective personis nominationis computandos, literas apostolicas super illius, et illorum respective provisionibus sub pœna nullitatis respective possessionis, ac fructuum, reddituum, ac proventuum respective perceptorum restitutionis sub plumbo expedire teneantur.

Declarationes speciales pro diversis casibus vacationum.

§. 40. Ac præterea declarantes, quod non obstante status immutatione dictæ collegiatæ ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, et in prædictam cathedralem ecclesiam, ut præfertur, erectæ: ac subrogatione cantoriæ videlicet in secundam, ac scholastriæ prædictarum in tertiam respective dignitates: ac dictorum vigintiquatuor canonicatuum, totidemque præbendarum in totidem canonicatus, et præbendas dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ; nihilominus tam dictus Ludovicus rex, ejusque successores reges prædicti in nominatione personarum itidem idonearum, et quatuor ut prius probata ex latere paterno graduum nobilitate præstantium Nobis, eidem Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad dictos vigintiquatuor canonicatus, totidemque præbendas ipsius cathedralis ecclesiæ sancti Deodati, ut præfertur, subrogatos, et subrogatas hujusmodi, in januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris cujuslibet anni mensibus ex nunc in posterum ex personis illos nunc, et pro tempore respective obtinentium quovis modo respective vacaturos, et vacaturas: quam etiam capitulum, et canonici nunc, et pro tempore existentes prædicti ejusdem cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ in pleno, et libero jure personis similiter, ut supra, nobilibus respective conferendi eosdem viginti quatuor canonicatus, totidemque præbendas ipsius cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, subrogatos, et subrogatas hujusmodi in reliquis martii, junii, septembris, et decembris cujuslibet etiam anni mensibus pariter ex nunc deinceps, ex similibus personis nunc, et pro tempore illos, et illas respective obtinentium quomodolibet vacaturos, et vacaturas: ac in simili etiam jure deputandi, et ad eorum nutum respective amovendi supradictos administratores, vicarios, aliaque officia prædicta in ipsa cathedrali ecclesia santi Deodati per Nos, ut præfertur, erecta, respective etiam nunc, et pro tempore obtinentes, aut antea respective continuare possint, et debeant: quodque ad eosdem capitulum, et canonicos dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, competat etiam, ut prius, jus pariter canonice eligendi personas de gremio eorum dicti capituli ad cantoriam secundam, et scholastriam tertiam respective dignitates ipsius cathedralis ecclesiæ sancti Deodati, ut præfertur, subrogatas hujusmodi, dum illas in posterum ex personis eas nunc et pro tempore respective obtinentium quovis modo etiam vacare contigerit; ita tamen, ut evenientibus ipsarum cantoriæ, et scholastriæ pro tempore vacationibus in præmissis octo mensibus dictæ Sedi apostolicæ reservatis, singulæ tunc erectionis hujusmodi respective confirmatio ab eadem apostolica Sede impetrari debeat, singulique electi in præmissis vacationibus ad cantoriam, et respective scholastriam prædictas literas apostolicas pariter sub plumbo super confirmatione electionis de eorum respective personis tunc factæ (quarum literarum apostolicarum vigore, et non alias earumdem cantoriæ, et scholastriæ respective possessionem adipisci queant) tempore a jure statuto durante expedire itidem debeant, et teneantur.

Memoratur concordatum initum inter episcopum Tullensem, et ecclesias Nanceyenses auctorante Ludovico rege.

§. 41. Cum vero Nobis innotuerit, quod nuper inter ipsum modernum episcopum Tullensem, ac dilectos pariter filios ad eamdem sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectam, ac aliam respective cathedralem ecclesiam Nanceyensem per Nos, etiam in posterum erigendam, Nobis a dicto Ludovico rege per suas literas hujusmodi sub spe, prædictam sibi, ut præfertur, concessam, et aliam eidem Ludovico regi in posterum etiam concedendam respective juris nominandi reservationes obtinendi, respective nominatos episcopos quoddam concordatum super tam respectiva Tullensis prædictæ, ac novarum sancti Deodati, et Nanceyensis hujusmodi respective diœcesum limitum præfinitione, quam etiam parochialium ecclesiarum in supradictis, et aliis in posterum per Nos itidem dismembrandis bajulivatibus, et territoriis existentium inter eos, juxta tamen earum-

dem literarum prædicti Ludovici regis Nobis exhibitarum tenorem facienda divisione: ac super nonnullorum relictorum, seu fundatorum munerum, seu pensionum vulgo *Bourses* nuncupatarum pro nonnullis manutenendis, et educandis in seminario ecclesiastico alias Tullensis tantum, et in posterum etiam in sancti Deodati, et Nanceyensis respective constituendis etiam ecclesiasticis seminariis adolescentibus, aliorumque locorum vulgo *Places* nuncupatorum in certis inibi expressis piis domibus pro nonnullis puellis etiam educandis, aut alias pariter fundatorum respective etiam facienda inter ipsos Tullensem, ac futuros sancti Deodati, et Nanceyensem respective episcopos partitione: ac denique super indemnitate eidem mensæ episcopali Tullensi pro dicta dismembratione ejusdem monasterii d'*Etival*, ut præfertur, nuncupati ab ea etiam, ut præfertur, facta: ac compensatione dilectis quoque filiis modernis, et pro tempore existentibus, sex archidiaconis ipsius cathedralis ecclesiæ Tullensis pro amissione cujusdam eorum particularis jurisdictionis super certis territoriis in supradictis, ut præfertur, dismembratis, seu aliis districtibus, etiam, ut præfertur, dismembrandis comprehensis habitæ respective dandis: videlicet prædictæ mensæ episcopali Tullensi per ejusdem monasterii sancti Mansueti: prædictis vero sex archidiaconis, nec non fabricæ dictæ cathedralis ecclesiæ Tullensis cura etiam cantuque carentis, similemque residentiam non requirentis prioratus sancti Laurentii *de Reyniel* prædicti ordinis sancti Benedicti ejusdem congregationis sancti Vitonis, et a dicto monasterio sancti Mansueti dependentis respective uniones per Nos in posterum de dicti Ludovici regis consensu etiam respective faciendas, initum fuit. Nos cupientes, ut ea, quæ ad prædictum intuitum tam æquum, et utilem in dicto concordato conventa esse intelleximus, firma semper et inconcussa permaneant; ac peculiarem de cœtero ipsius moderni episcopi Tullensis exhibitum in hujusmodi munerum, et fundationum partitione liberalitatem, plurimum etiam commendantes.

Confirmatio concordatus.

§. 42. Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, dictum concordatum, ut præfertur, initum, et in eo contenta quæcumque, licita tamen et honesta, cum omnibus, et singulis jam inde legitime sequutis, et sequendis quibuscumque, apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo approbamus, et confirmamus; illique perpetuæ, inviolabilis, et irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus.

Sanatio defectuum juris, vel facti.

§. 43. Omnesque et singulos, tam juris quam facti, vel solemnitatum, aliosve quantumvis substantiales defectus, si qui desuper in dicto concordato, ut præfertur, inito principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, intelligi, aut prætendi possent in eodem supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus.

Præceptum de observando quidquid in concordato statutum fuerat.

§. 44. Decernentes idem concordatum, ut præfertur, initum, ac etiam, ut præfertur, per præsentes approbatum, et confirmatum in omnibus, et per omnia suos plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec non a moderno, et pro tempore existente Tullensi, ac futuris sancti Deodati, et Nanceyensi respective episcopis prædictis, et ab omnibus aliis ad quos nunc spectat, et pertinet, ac spectare, et pertinere potest, et poterit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter, atque inconcusse observari, et adimpleri debere: illosque a dicto concordato, ut præfertur, inito, ac per præsentes etiam, ut præfertur, approbato, et confirmato, nullo unquam tempore sub quovis prætextu, seu quavis occasione, vel causa resilire, vel recedere posse; immo ad integram illius observantiam teneri; ita ut quæcumque tam per modernum, et pro tempore existentem Tullensem, quam futuros etiam pro tempore sancti Deodati, et Nanceyensem episcopos prædictos, et quoslibet alios contra ipsius concordati, ut præfertur, initi, ac per præsentes etiam, ut præfertur, approbati, et confirmati formam, ac earumdem præsentium tenorem, et continentiam quandocumque faciendæ dispositiones nullæ prorsus, et invalidæ, ac insubsistentes sint, et tales fore, et esse.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 45. Nec non easdem præsentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos similiter nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, et quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem

præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem, requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quamtumvis justa, rationabili, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, et extra illud posse; neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ prædictæ regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariæ reintegratas fore, et esse. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 46. Et insuper dilecto etiam filio Augustino Drovart presbytero Metensis diœcesis, qui etiam, ut accepimus, unus ex prædictis vigintiquatuor ipsius sic erectæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, subrogatis canonicis existit, ut commodius substentari valeat, de alicujus subventionis auxilio providere, ac specialem gratiam facere volentes; motu simili eidem Augustino pensionem annuam ab omnibus, et quibuscumque oneribus, et subventionibus etiam cleri, aut alio quocumque nomine nuncupatis nunc impositis, et pro tempore quomodolibet imponendis, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia liberam, immunem, et exemptam mille, et ducentarum librarum Turonensium super omnibus, et singulis fructibus, redditibus, et proventibus per Nos eidem novæ mensæ episcopali sancti Deodati, ut præfertur, unitis, et applicatis hujusmodi, prædicto Augustino quoad vixerit, vel procuratori suo legitimo per ipsum ab eodem Ludovico rege ad alteram episcopalem ecclesiam sancti Deodati, ut præfertur, erectam nominatum, et per Nos eidem ecclesiæ sancti Deodati a primæva illius erectione prædicta pastoris solatio, ut præfertur, destitutæ, primo etiam, ut præfertur, præficiendum episcopum, cujus et prædicti Ludovici regis ad hoc expressus accedit assensus, et ejusdem nominati, et respective primo præficiendi episcopi successores dictæ ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ præsules, seu administratores pro tempore existentes annis singulis in loco, et terminis inter ipsum Augustinum, et prædictum nominatum episcopum sancti Deodati statutis, seu statuendis; non tamen in terminis possessionem, seu quasi regimini, et ad-

Provisio favore Augustini Drovart presbyter Metensis diœcesi.

ministrationis dictæ episcopalis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque mensæ episcopalis hujusmodi bonorum ei, ut præfertur, unitorum prædictorum, seu majoris partis eorum per eumdem a dicto Ludovico rege nominatum, et per Nos eidem ecclesiæ sancti Deodati, ut præfertur, erectæ, primo etiam, ut præfertur, præficiendum episcopum assequendam antecedentibus, vigore tamen ipsarum præsentium, nec alias alioquin præsens reservatio nulla sit eo ipso, integre persolvendam, apostolica auctoritate prædicta reservamus, constituimus, et assignamus.

Pœnæ statutæ contra non solventes pensionem reservatam favore sacerdotis Drouart.

§. 47. Decernentes etiam decretum nominatum episcopum sancti Deodati, et successores prædictos ad integram solutionem pensionis hujusmodi eidem Augustino faciendam, juxta reservationis constitutionis, et assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos: ac volentes, et eadem apostolica auctoritate statuentes, quod ille ex nominato episcopo sancti Deodati, et successoribus prædictis, qui in dictis terminis, vel saltem infra triginta dies illorum singulos immediate sequentes pensionem prædictam per eum eidem Augustino tunc debitam non persolverit, cum effectu lapsis diebus eisdem, nominato episcopo sancti Deodati, et successoribus præsulibus, videlicet ingressus ecclesiæ interdictus existat, administratores vero prædicti sententiam excommunicationis incurrant, a qua donec dicto Augustino, vel eidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integre satisfactum, vel alias cum prædicto Augustino, sive ejusdem dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præter quam in mortis articulo constitutus: interdictus videlicet interdicti relaxationem, excommunicatus vero prædicti ab hujusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium nequeat obtinere: si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes, interdictus videlicet sub hujusmodi interdicto permanserit, excommunicatus vero prædicti sententiam excommunicationis hujusmodi animo, quod absit, substinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem a regimine, et administratione dictæ ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ perpetuo respective suspensi existant eo ipso.

Deputatio executoris literarum.

§. 48. Postremo autem desiderantes, ut præmissa omnia, sic per Nos, ut præfertur, disposita ad suum feliciter perducantur effectum, et ea quæ ab homine pacis inimico non numquam in similibus suscitari solent, obstacula dirimantur; hinc venerabilem quoque fratrem Nostrum modernum archiepiscopum Tolosanum in exequutorem pro exequutione tantum earumdem præsentium, dicta apostolica auctoritate constituimus, et deputamus.

Facultas subdelegandi procuratorem.

§. 49. Eidemque moderno archiepiscopo Tolosano facultatem, ut ipse quascumque personas in dignitate ecclesiastica, ac etiam episcopali constitutas pro hujusmodi exequutionis effectu subdelegare libere, et licite possit, et valeat apostolica auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium concedimus, et impartimur.

Aliæ facultates eidem apostolico executori impartitæ.

§. 50. Eidem moderno archiepiscopo Tolosano, sive ejus subdelegando prædicto motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus mandantes, quatenus eorum alter eos limites, et confines, prædictæ novæ diœcesi ejusdem episcopalis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ stabilire, et regulare: ac respective dicto futuro episcopo sancti Deodati eas portiones, seu quantitates, et qualitates parochialium ecclesiarum assignare qui, et quæ in dictis literis ipsius Ludovici regis Nobis, ut præfertur exhibitis, et in ipso concordato, ut præfertur, inito, ac etiam, ut præfertur, approbato, et confirmato contenti, et expressi, ac contentæ, et expressæ respective reperiuntur, auctoritate Nostra curet, et satagat: nec non easdem præsentes, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit solemniter publicans, ac omnibus et singulis personis, quarum favorem eadem præmissa quomodolibet concernunt efficacis defensionis præsidio assistens faciat, auctoritate Nostra prædicta easdem præsentes, et in eis, ut præfertur, contenta quæcumque a quibuscumque, ad quos spectat inviolabiliter observari; ac eosdem futurum episcopum, ac capitulum, et canonicos dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, aliosque prædictos illis pacifice frui, et gaudere non permittens ipsos, vel eorum quempiam per quoscumque quavis auctoritate fungentes desuper quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari: et nihilominus super quacumque oppositione adversus eadem præmissa quomodolibet oritura etiam definitive pronunciet: ac faciat similiter auctoritate Nostra hujusmodi pensionem prædictam eidem Augustino, vel pro-

curatori prædicto juxta reservationis, constitutionis, et assignationis prædictæ, ac decreti Nostri hujusmodi continentiam, et tenorem integre persolvi; et quemlibet ex dicto nominato episcopo sancti Deodati, et successoribus prædictis, quem interdicti, et excommunicationis hujusmodi respective sententias incurrisse ei constiterit, quoties super hoc pro parte dicti Augustini fuerit requisitus, tamdiu dominicis, et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina pervenerit, interdictum, et excommunicatum respective publice nunciet, et faciat ab aliis nunciari: et excommunicatum ipsum ab omnibus arctius evitari, donec Augustino, vel procuratori prædicto de pensione hujusmodi tunc debita fuerit integre satisfactum: ipsique interdictus, videlicet interdicti relaxationem, excommunicatus vero prædicti ab hujusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere; contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo: ac legittimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras, et pœnas ipsas iteratis vicibus aggravando, implorato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§. 51. Non obstante felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. etiam prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel diœcesim, nisi in certis inibi expressis, et exceptis casibus, et in illis non ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur: seu ne judices a dicta Sede apostolica deputari extra civitatem, et diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, et in concilio generali edita de duabus dietis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus, et generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, et de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore; nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, et dividi, ac pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus nisi ex cessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis: ac quatenus opus sit dictorum monasteriorum, ac ordinum, et congregationum prædictorum, dictæque ecclesiæ Tullensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine hujusmodi, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus, ac pluries concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, plenissime ad præmissorum omnium et singulorum validitatis effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune et valide motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemptio episcopi a solutione aliarum pensionum.

§. 52. Aut si dicto nominato episcopo sancti Deodati, et successoribus prædictis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim, ab eadem sit apostolica Sede indultum, quod ad præstationem vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Præceptum de taxandis fructibus cathedralis ecclesiæ

§. 53. Volumus autem, quod fructus, redditus, et proventus dictæ cathedralis ecclesiæ sancti Deodati per Nos, ut præfertur, erectæ, juxta redditus illius novæ mensæ episcopalis per

Nos, ut præfertur unitos, et applicatos hujusmodi ad centum, et quadraginta duos florenos auri cum duobus tertiis alterius floreni similis de more taxati: et hujusmodi taxa (comprehensa tamen in illa medietate taxæ fructuum, reddituum, et proventuum supradicti monasterii Mediani vulgo *de Moyen moutier*, ut præfertur, nuncupati) in libris cameræ apostolicæ prædictæ describi debeant; ita tamen, ut prædictum monasterium Medianum pro dicta medietate taxæ exoneratum in posterum perpetuo censeatur.

Fides habenda transumptis.

§. 54. Volumus etiam, quod earumdem præsentium transumptis, et exemplis etiam impressis, ac manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in eadem dignitate ecclesiastica, ut præfertur, constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, et extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus originalibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 55. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionum, institutionum, subrogationis, declarationis, confirmationis, extensionis, admissionis, statuti, dissolutionis, sejunctionis, dismembrationum, unionis, applicationis, appropriationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, reservationis, injunctionis, declarationis, approbationis, et alius confirmationis, roboris, adjectionis, defectum suppletionis, sanationis et abolitionis, ac decreti, et pensionis, reservationis, constitutionis, et assignationis, nec non reparationis facultatis, impartitionis mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ 1777 duodecimo kalendas augusti, pontificatus Nostri anno tertio.

## CXLVII.

Dat. die 13 augusti 1777. Anno III.

Congregationi Oratorii s. Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatæ s. Fidei di Guanasata in Indiis Mecoacanæ dioecesis, communicantur privilegia, et gratiæ congregationis Romanæ ejusdem s. Philippi Nerii ec.

### Pius PP. VI.

### Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum porrectarum.

§. 1. Militantis Ecclesiæ regimini licet imparibus per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes presbyterorum sæcularium congregationis in Ecclesia Dei pie, sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagentes, privilegiis, et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri sæculares congregationis sancti Philippi Nerii oppidi civitatis nuncuphatæ sanctæ Fdei o di Guanasata Mecoacanæ dioecesis in Indiis, quod nuper eadem congregatio a Nobis confirmata, et nonnullis gratiis, et indultis, ac privilegiis decorata fuit, ipsiusque congregationis presbyteri sub eodem instituto sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii presbyteri sæculares congregationis Oratorii, ejusdem sancti Philippi Nerii in ecclesia ss. Mariæ, et Gregorii in Vallicella de urbe erectæ servant, vivere intendunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, regulæ, et instituta dictæ congregationis Romanæ subinde a recolendæ memoriæ Paulo pp. V., Gregorio XV, et Urbano VIII. Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris specialiter opprobata, ipsi congregationi Romanæ, ac illius ecclesiæ presbyteris, ac personis ab iisdem, et forsan aliis Romanis pontibus quoque prædecessoribus Nostris multa privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum prædecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri. Ipsi vero exponentes regulas, et instituta hujusmodi receperint, seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis, et gratiis frui, et gaudere posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fece-

runt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Gratiæ tenor, et conditiones adnexæ.

§. 2. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac prædictarum literarum apostolicarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: prædictæ congregationi Oratorii sancti Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatæ Sanctæ Fidei di Guanasata prædicti, illiusque ecclesiæ, ac presbyteris sæcularibus, et personis nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, gratiis, et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis, et indultis memoratæ congregationi Romanæ, ejusque ecclesiæ presbyteris, et personis per prædictos Romanos pontifices prædecessores Nostros quomodolibet concessis, etiam specifica, et individua mentione, ac expressione dignis, et quibus eadem congregationi Romana, ejusque ecclesiæ presbyteri, ac personæ ex memoratorum pontificum prædecessorum Nostrorum concessione de præsenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et guadere possunt, non tamen indulgentia perpetua a felicis recordationis Benedicto pp. XIII, prædecessore quoque Nostro memoratæ ecclesiæ ss. Mariæ, et Gregorii in Vallicella sub certis modo, et forma tunc expressis concessa, pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, ac valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta hujusmodi ipsi congregationi oppidi prædicti, ejusque ecclesiæ presbyteris, et porsonis specialiter concessa reperirentur, sine præjudicio tamen gratiarum, indultorum, et privilegiorum eidem congregationi dicti oppidi a Nobis, sicut præfertur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis oppidi hujusmodi presbyteri, et personæ nunc, et pro tempore existentes regulas, et instituta pro dicta congregatione Romana, ut præfertur, approbata, observent, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ congregationis oppidi prædicti, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 20. augusti 1777. Anno III.

## CXLVIII.

**Deputatio primi, sive capitis decemvirorum civitatis Perusinæ in unum ex præsidibus montis Pietatis dictæ civitatis.**

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam.

Status montis Pietatis, illiusque gubernium describitur.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum decemvirorum nuncupatorum civitatis Nostræ Perusinæ expositum Nobis fuit, quod in eadem civitate reperitur mons Pietatis in pauperum beneficium priscis temporibus ita erectus, ut cæteros omnes, sicuti asseritur, antiquioritate præcedat. Regimen itaque, atque gubernium montis Pietatis hujusmodi nunc residet penes congregationem a pro tempore existente civitatis prædictæ episcopo, illiusque gubernatore, nec non ex tribus regularibus personis, abbate nempe monasterii ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, alioque ejusdem ordinis, et congregationis montis Oliveti, nec non ex custode conventus dictæ civitatis, et ordinis sancti Francisci minorum de observantia nuncupatorum constitutam. Duo præterea sunt primi ejus officiales, videlicet capsarius, et custos pignorum, quorum electio a prædictis quinque superioribus una cum fidejussorum ab unoquoque ex eis præstandorum approbatione unice pendet.

Memorantur damna manantia ex prædicto gubernio, et opportunum remedium exquiritur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, experientia compertum sit, ex electionibus, atque ab administrandi ratione hujusmodi plura, et gravia damna cum pauperum præjudicio in prædictum Pietatis montem obvenisse, hinc ne id quoque in posterum sequatur, dicti exponentes opportunum remedium per Nos adhiberi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Administrationi præponitur caput ex decemviris.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auditis super præmissis opportunis informationibus, præcipimus, et mandamus, ut in posterum primus, sive caput ex decemviris pro tempore existentibus civitatis prædictæ admittatur ad congregationem, cui commissa est cura, et moderamen montis Pietatis ejusdem civitatis; eumdemque sic admissum inter cæteros montis hujusmodi præsides, eamdem congregationem costituentes in perpetuum adnumerandum esse, ac montis administrationi cum iisdem juribus, et prærogativis, quibus cæteri præsides hactenus potiti sunt, et fruentur in futurum, præesse debere auctoritate apostolica tenore præsentium volumus, et jubemus.

Constitutionis observantia decernitur, sublata facultate aliter a quolibet judicandi.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et derogatis omnibus in contrarium facientibus.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac civitatis, et montis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima augusti millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 29 augusti 1777. Anno III.

CXLIX.

Confirmatio erectionis congregationis Oratorii s. Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatæ sanctæ Fidei di Guanasata Mecoacanae diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ex qua divina majestas ad pastoralis officii fastigium Nos quamquam immeritos evexit, quantum in Nobis fuit, superno auxilio freti, conati sumus, ut divini cultus, et catholicæ fidei propagatio, et animarum salus opportunis mediis augeatur; et propterea clericos, seu presbyteros congregationum operari cupientes, intentis studiis promovemus, et instituimus, favoribusque, et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Erectio congregationis laudatur.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, in oppido civitatis nuncupatæ sanctæ Fidei di Guanasata Mecoacanæ diœcesis in Indiis congregatio presbyterorum, et clericorum sæcularium Oratorii sancti Philippi Nerii canonice, ut asseritur, erecta, et instituta sit, iidemque clerici, et sacerdotes Christifidelium confessiones audire, Ecclesiæ sacramenta administrare, exhortationes ad populum habere, infirmos visitare, et alia pietatis, et charitatis opera non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione, divinique cultus augumento juxta pium eorum institutum exercere cupiant; pro erectionis autem, et institutionis hujusmodi subsistentia, et validitate plurimum desiderent, illas apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri.

Dummodo canonice institutio facta sit confirmatur.

§. 3. Nos presbyteros, et clericos prædictos, ut ad pia, et sacra opera hujusmodi exercere promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosque uberiores in posterum afferant specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, erectionem, et institutionem prædictas, quatenus illæ canonice factæ fuerint, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et nihilominus in eodem oppido unam prædictorum presbyterorum, et clericorum sæcularium in illam pro tempore recipi volentium congregationem ad instar congregationis Oratorii hujusmodi in ecclesia sanctorum Mariæ, et Gregorii in Vallicella de urbe dudum apostolica auctoritate, dummodo tamen presbyteri, et clerici prædicti ordinationes, ac instituta domus congregationis Oratorii alias a felicis recordationis Paulo pp. V. prædecessore Nostro confirmata receperint, et illa pro viribus observare intendant, auctoritate, et tenore similibus etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

Presbyteris in eadem congregatione receptis facultas conceditur audiendi confessiones, et a parochi jurisdictione eximuntur.

§. 4. Ac nunc, et pro tempore existentibus præposito, presbyteris, et aliis ejusdem congregationis, sic de novo erectæ, qui ab ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, ac illis pœnitentia debita pro modo culpæ injuncta, ac aliis injungendis injunctis, absolutionem impendere salutarem possint, et valeant; sacerdotes vero in eadem congregatione recepti parochi eorum jurisdictioni minime subjaceant, et sibi ipsis invicem quæcumque sacramenta ecclesiastica, quovis etiam paschatis resurrectionis Dominicæ tempore, vice, et loco parochi ministrare valeant.

Superioribus tribuitur potestas absolvendi subditos a censuris, exceptis casibus s. Sedi reservatis.

§. 5. Superiores autem congregationis per præsentes erectæ per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam adprobatis suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi apostolicæ reservatis, neque in literis die cœnæ Domini legi solitis contentis absolvere, illisque debitam pœnitentiam similiter injungere, iidemque superiores receptos inobedientes, ac ipsius congregationis constitutionum transgressores punire, et pœnitentiæ pro modo culpæ eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum, et institutionum hujusmodi afficere, et si sibi videbitur cum consensu majoris partis dictæ congregationis culpabiles ejicere, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, libere, et licite similiter possint, et valeant auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus. Ac demum,

quod congregatio per præsentes erecta sit, ac perpetuo remaneat subjecta omnimodæ jurisdictioni episcopi Mecoacani pro tempore existentis, qui tamen ordinationes, et instituta prædicta nullo modo mutare, et alterare possit, similiter perpetuo statuimus, et ordinamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 6. Decernentes præsentes literas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari: et ita per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§. 7. Ac insuper, ut ecclesia congregationis sic erectæ in majori veneratione habeatur, et ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique presbyteri ad congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus, et singulis presbyteris, et clericis, qui eamdem congregationem de cætero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint plenariam: ac ipsis nunc, et pro tempore existentibus presbyteris, et aliis conviventibus ejusdem congregationis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus etiam plenariam, nec non tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui ejusdem congregationis per præsentes erectæ ecclesiam die festo sancti Philippi Nerii a primis vesperis usque ad occasum solis visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem etiam perpetuo concedimus, et elargimur; non tamen presbyteris, et aliis ejusdem congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus iisdem exhortationibus interessentibus decem annos, et qui ecclesiam dictæ congregationis in quatuor aliis anni festis diebus per dictos presbyteros semel tantum designandis, et ab ordinario approbandis a primis vesperis usque ad occasum solis festorum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et, ut præfertur, oraverint septem annos, et totidem quadragenas: eisdem vero presbyteris, et aliis dictæ congregationis quoties divinis officiis in sua ecclesia, vel oratorio more dictæ congregationis celebrandis, aut congregationibus publicis, vel privatis, et secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicalem, et toties salutationem Angelicam tam pro animarum presbyterorum, aut aliorum congregationis prædictæ, quam aliorum in Chisti charitate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut quocumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus regula Nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, statutis, legibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhi-

beatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CL.

Dat. die 30 augusti 1777. Anno III.

**Facultas officialibus, et confratribus confraternitatis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanæ celebrari faciendi quolibet sabbato missam de Apparitione beatæ Mariæ virginis.**

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres tertii ordinis nuncupati beatæ Mariæ virginis de Mercede canonice, ut asseritur, erectæ in ecclesia conventus fratrum ordinis ejusdem beatæ Mariæ virginis de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanæ, quod alias, die nempe xi. julii MDCCXI. a congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum editum fuit decretum, tenoris, qui sequitur videlicet.

Ordinis excalceatorum B.M.V. de Mercede redemptionis captivorum.

Tenor decreti congregationis Rituum.

§. 2. Ad humillimas preces rev. patris Didaci a sancto Philippo procuratoris generalis excalceatorum beatæ Mariæ virginis de Mercede redemptionis captivorum, nomine etiam totius ordinis suæ religionis sacræ Rituum congregationi porrectas, in quibus demisse supplicabatur, ut loco missæ votivæ, quæ ex regulis ordinis, et privilegiis respective Clementis VIII., et Urbani VIII. a toto supradicto ordine singulis sabbatis cujuslibet hebdomadæ canitur, exceptis tamen diebus sabbati sancti, vigiliæ, et nativitatis Domini, et in die sancti Petri Nolasci, in posterum missa propria Apparitionis beatæ Mariæ virginis alias pro festivitate ejusdem apparitionis beatæ Mariæ virginis sub die 2. junii 1685 ab hac sacra congregatione approbata, a toto ordine calceatorum, et excalceatorum beatæ Mariæ virginis de Mercede redemptionis captivorum in dictis singulis anni sabbatis cani possit. Et sacra eadem Rituum congregatio, ad relationem emi., et rmi domini cardinalis de Abdua, benigne inclinata respondit = Pro gratia mutatis illis verbis in introitu = *diem festum* =, quorum loco dicatur = *memoriam* die xi. julii 1711.

Indulgentiæ concessæ a Benedicto XIV.

§. 3. Postmodum vero felicis recordationis Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die decima sexta novembris 1757 omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum beatæ Mariæ virginis de Mercede redemptionis captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitassent, ibique missæ propriæ de beata Maria de Mercede cantari solitæ pie interfuissent, plenariam quarto sabbato cujuslibet mensis omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem in Domino concessit, in reliquis vero sabbatis totius anni eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit, et alias prout in ipsius Benedicti prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Impetratio missæ propriæ Apparitionis B. M. V. et ampliationis indulgentiarum concessarum a Benedicto XIV.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes pro peculiari, quem erga eamdem beatam virginem de Mercede gerunt devotionis affectu facultatem celebrari faciendi prædictam missam propriam Apparitionis beatæ Mariæ virginis a dicta congregatione, ut præfertur, approbatam toto ordini calceatorum, et excalceatorum beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum in singulis anni sabbatis, ut præfertur, concessam, ad ipsos quoque exponentes, qui in altari prædictæ confraternitatis eam celebrare facere possint extendi, et ampliari, ac præter plenariam indulgentiam a memorato Benedicto prædecessore in quarto sabbato cujuslibet mensis, ut præfertur, concessam, aliam quoque plenariam primo sabbato cujuslibet mensis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis,

et altare dictæ confraternitatis eadem die devote visitantibus, ac missæ hujusmodi interessentibus, in reliquis vero sabbatis septem annorum, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ relaxari consueta per Nos concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, nunc, et pro tempore existentibus officialibus, et confratribus prædictæ confraternitatis, ut ipsi missam propriam Apparitionis beatæ Mariæ virginis a memorata congregatione pro toto ordine prædicto, ut præfertur, approbatam in singulis anni sabbatis servata in omnibus, et per omnia præinserti decreti præfatæ congregationis forma, et dispositione in altari dictæ confraternitatis celebrari facere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Omnibus vero utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui altare ipsius confraternitatis singulis sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique missæ prædictæ pie interfuerint, et devote oraverint plenariam primo sabbato cujuslibet mensis omnibus peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem in Domino concedimus: in reliquis vero sabbatis totius anni septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima augusti millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CLI.

Dat. die 3 septembris 1777 Anno III.

Privilegium super incisione in ære quarumdam picturarum nuper in villa Negroni prope thermas Diocletianas de urbe detectarum pro Camillo Buti Romano.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expostulatio juris privativi incidendi detectas picturas.

§. 1. Cum sicut accepimus dilectus filius Camillus Buti pictor, et architectus optices Romanus delineationem picturarum quarumdam vetustissimarum ædium in villa Negroni vulgo nuncupata prope thermas Diocletianas de urbe Nostra nuper detectarum aggressus sit, cupiatque subinde opus hujusmodi ære incidi facere, vereaturque ne postquam in lucem prodierit, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, opus hujusmodi cum ipsius exponentis præjudicio incidere curent.

Concessio juris privativi, etiam favore hæredum pictoris Buti.

§. 2. Nos exponentis indemnitati, ne ex incisione prædicta nimium dispendium patiatur, providere, ipsumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: eidem exponenti, ut ex nunc usque ad totum operis hujusmodi complementum, nemo tam in urbe prædicta, quam in universo statu Nostro ecclesiastico immediate, vel mediate Nobis subjecto, opus picturarum hujusmodi, sine speciali dicti exponentis, ejusve hæredum, et successorum, vel ab eo, et eis causam habentium licentia incidere, aut ab alio, vel aliis, sine hujusmodi licentia incisum, vendere, aut venale habere, seu proponere possit auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Prohibitio ne a quovis alio picturæ ipsæ incidi possint, cum inflictione poenæ adversus contra ingressores

§. 3. Inhibentes propterea universis utriusque sexus Christifidelium sculptoribus, sub quingentorum ducatorum auri de camera pro una eidem cameræ apostolicæ, ac pro alia eidem ex-

ponenti, seu illius hæredibus, et successoribus, aut ab eo, vel eis causam habentibus, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, et judici exequenti irremissibiliter applicandis, et eo ipso absque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne usque dum opus hujusmodi completum fuerit, ut præfertur, picturas prædictas tam in urbe, quam in reliquo statu ecclesiastico prædictis, sine licentia hujusmodi incidere, aut ab aliis incisas vendere, aut venales habere, sive proponere quoquomodo audeant, seu præsumant: mandantes propterea dilectis filiis Nostris, et Sedis apostolicæ de latere legatis, seu eorum vice-legatis, aut præsidentibus, gubernatoribus, prætoribus, aliisque justitiæ ministris provinciarum, terrarum, seu locorum status Nostri ecclesiastici prædicti, quatenus eidem exponenti, ejusque hæredibus, et successoribus, seu ab eis causam habentibus hujusmodi, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumque ab eodem exponente, seu ab aliis prædictis fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, ac quibuscumque statutis, et consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia septembris millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CLII.

Dat. die 7 septembris 1777. Anno III.

**Commissio nuntio apostolico Poloniæ efficiendi statum monasteriorum ordinis Cisterciensium Landensis, et Bledzoviensis respective nuncupatorum.**

Pius episcopus

Servus servorum Dei.

Venerabili fratri Joanni Andreæ archiepiscopo Calcedonensi Nostro, et apostolicæ Sedis in regno Poloniæ nuntio salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Solicita consideratione prout pastorale officium Nostrum exposcit ad statum monasteriorum, in quibus præcipue regularis viget disciplina provide dirigendum omne studium libenter impendimus, ut nimirum monasteria singula diutinæ vacationis minime exponantur incommodis, sed illa omni cunctationis posthabita causa, viris deferantur idoneis, qui sciant, velint, et valeant monasteria eis attributa salubriter regere, et feliciter gubernare. Atque ita cumulate supremum munus nostrum perficere intendimus, ut una, quæ a Nobis antea demandata fuere exequi jubeamus.

Expositio precum porrectarum pro obtinenda confirmatione electionum factarum coadjutorum cum futura successione

Eximium summi pontificis erga universitatem Ferrariensem studium.

§. 5. Paterna itaque, quam de Nostris, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam quoad temporalia subditis gerimus sollicitudine, vel ipsis ferme pontificatus primordiis mentis Nostræ aciem eo direximus, ut in supremo, nullis suffragantibus meritis, solio justitiæ, quæ ex Deo est, in terris costituti minori, quo posset, dispendio dilectorum filiorum civium, et incolarum civitatis Nostræ Ferrariæ, ejusque districtus, et totius ducatus generale idem studium tot prædecessorum, tantisque curis erectum, confirmatum, restitutum perpetuo apostolicæ munificentiæ pignore tueremur, et una uberius ipsi subsidium pararemus, atque ita nedum celebris illius civitatis, et ducatus optime de Sede apostolica meriti decus, et ornamentum custodiretur, verum etiam cives ipsi districtuales, totiusque ducatus incolæ ad universitatem ipsam confluentes scientiis, bonisque artibus, operam dantes longe minori sumptu, quam si exteras adire regiones cogerentur, proficerent, ac sibi, familiisque suis compendio, et emolumento essent; meliores autem cives in republica gerenda evaderent: diu autem, ac sedulo re communicata cum dilecto filio Guillelmo tituli s. Eusebii S. R. E. presbytero card. Pallotta nuncupato cameræ Nostræ apostolicæ pro thesaurario generali, et dilecto pariter filio Josepho Benetti in Nostra Romana curia advocato, ejusdemque apostolicæ cameræ in civitate, et ducatu Nostro Ferrariæ commissario; auditisque aliis itidem peritis, gravibusque et doctrina, et experientia viris non alium invenimus modum faciliorem, ut onus in omnes divisum levius efficeretur, quam si aliquantulum salis pretium augeretur. Quamobrem apostolicas literas felic. rec. Bonifacii IX., Clementis VIII., et Clementis XIV., prout quoque omnia statuta, reformationes, provisiones, et declarationes, quæ præsentem statum, guberniium, et regimen universitatis prædictæ respiciunt, in partibus tamen huic Nostræ perpetuo valituræ sanctioni non contrariis, iterum eorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis haberi volentes, auctoritate apostolica harum serie, quatenus opus sit, approbantes, confirmantes, et exequi mandantes, aliasque insuper paternæ providentiæ Nostræ partes interponentes.

Sale ejusdem universitatis necessitatibus consulitur.

§. 6. Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine eisdem de causis, quibus fel. rec. Clemens VIII. datium unius quadrantis super qualibet libra salis in civitate Ferrariæ, ejusque districtu vendendi auxit, et ampliavit ad alterum quadrantem, proindeque duos in totum quadrantes, titulo etiam perpetuæ donationis commodo, et utilitati universitatis studiorum applicuit, addixitque in perpetuum, aliisque tum supra relatis causis permoti, tum aliis animum Nostrum digne moventibus, ac perpendentes quam providum, ac utile futurum sit subditis Nostris totius Ferrariensis dictionis, si frequentiores numero, atque alacriores ingenio scientiarum professores ad eas obtinendas cathedras uberioris spe præmii confluant, tertium quadrantem, harum serie perpetuo Nos vestigiis hærentes ipsius prædecessoris Nostris Clementis VIII. adjungimus, et augemus, et ad totum ducatum Nostrum Ferrariensem ampliamus, et extendimus, istumque tertium unicum quadrantem adjunctum in singulas libras salis vendendi in eadem civitate, districtu, ac toto ducatu Nostro Ferrariensi in posterum a die publicationis præsentis Nostræ cedulæ motus proprii in civitate Ferrariæ, aliisque castris, et oppidis districtus, et ducatus peragendæ a cunctis civibus districtualibus, ducatus incolis prædictis, et ab omnibus, singulisque aliis, ad quos spectat, et in futurum pertinebit, etiam ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus utriusque sexus, cujuscumque gradus, conditionis, instituti, vel congregationis existant, et generaliter instar eorum omnium, qui juxta Breve fel. rec. Clementis VIII. editum 14. augusti 1602. ad solutionem dictorum duorum quadrantium tenentur, persolvendum, simili perpetuæ donationis titulo ad Nostrum, et Sedis

apostolicæ placitum duraturæ eidem studio, sive universitati studiorum Ferrariæ perpetuo, et motu itidem proprio, ac plenitudine potestatis Nostræ apostolicæ tribuimus, applicamus, concedimus, et largimur.

Ex vetere, novoque vectigali summa quotannis universitati addicitur scut. 310.

§. 7. Volumus tamen, et expresse præcipimus, quod tam datii duorum quadrantium ab eodem prædecessore Nostro Clemente VIII., ut supra impositi super qualibet libra salis vendendi in civitate, ac districtu Ferrariæ, quam hujus novæ indictionis pro tertio quadrante adjuncto in quamlibet libram salis nedum in civitate, et districtu prædictis vendendi, verum etiam in universo ducatu Nostro Ferrariensi, dominium, libera administratio, et locandi, seu quodlibet aliud gerendi potestas jugiter, ac perpetuo resideat, plenoque jure privative quoad universitatem studiorum, ejusque pro tempore præsides, sive moderatores; et quamcumque aliam personam pertineat ad Nostram cameram, ejusque pro tempore existentem thesaurarium generalem, unico apud universitatem ipsam studiorum, remanente donationis, seu donationum titulo; cujus virtute pro eo, quod respicit largitionem illi factam a Clemente VIII. duorum quadrantium, perpetuo, libere, omnique exceptione submota exigere ipsa universitas, sive illius moderatores statis temporibus pergant a camera Nostra, vel a proventuum ejusdem generalibus conductoribus thesaurariis nuncupatis annuam præfinitam, et invariabilem quantitatem scutorum trium millium tercentorum decem monetæ Romanæ: derogantes Nos ejusdem decessoris Nostri apostolicis literis quoad liberam tantum administrationem supradicti datii universitati concreditam, aliisque contrariis quibuscumque. Quod autem pertinet ad tertium alterum quadrantem a Nobis adjunctum non aliud ex hac donatione jus eidem universitati studiorum, illiusque moderatoribus competat, quam perpetuis futuris temporibus a Nostra camera, illiusque proventuum conductoribus Ferrariæ certam, determinatam, nullique pariter variationi obnoxiam annuam quantitatem aliorum scutorum trium millium monetæ Romanæ initio ducto a tempore publicationis præsentium, ut supra faciendæ, statis item temporibus, et absque ulla exceptione habendi; proindeque annua in totum scuta sex mille tercentum decem utroque titulo recipiendi, ac exigendi.

Nosocomio divæ An. sc. 1000, et projectis 600. ex eodem vectigali adsignantur.

§. 8. Quoniam vero Nobis apprime ex eorumdem peritorum virorum relationibus, et calculorum exhibitis supputationibus constitit ex nova præsenti indictione unius alterius quadrantis pro qualibet libra salis vendendi in civitate, districtu, totoque ducatu prædictis majorem scutis tribus millibus universitati studiorum tributis annuam retrahi, et consequi posse quantitatem, videlicet annua saltem scuta quatuor millia sexcenta monetæ Romanæ, contra vero decrevimus, nullum ex hac nova impositione lucrum ærario Nostro afferre, sed quod inde perciperetur in causas publicam utilitatem respicientes convertere, ut Nostri Ferrarienses subditi agnoscerent vectigal hoc esse vel una, vel alia ratione, uno, alterove modo in ipsorum utilitatem, et commodum recasurum; idcirco ad indigentias, et diuturniorem conservationem nosocomii nuncupati sanctæ Annæ, et piæ domus pauperum expositorum civitatis Nostræ Ferrariæ paterna solicitudine respicientes, motu similiter proprio, ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine præter annua scuta 3000, ut præfertur, universitati tributa, perpetuo itidem ad Nostrum, Sedisque apostolicæ beneplacitum scuta mille annua addicimus, concedimus, applicamus, donamus, et largimur eidem nosocomio pauperum infirmorum, et valetudinariorum utriusque sexus, et sanctæ Annæ nuncupato: alia vero scuta sexcenta ex nunc, prout ex tunc, et postquam patrimonium suppressæ societatis Jesu nuncupatæ redintegrationem, eadem annua quantitate scutorum 6000 obtinuerit expensarum omnium, quas subire hucusque debuit, quæque fieri etiam debuerunt, ut instauraretur, ac pristino nitori restitueretur ecclesia divinissimo nominis Salvatoris, et Domini Nostri Jesu Christi in ipsa civitate Nostra Ferrariæ dicata, cujus conditionis verificationem omnino, et absque ullo onere redditionis rationum arbitrio, et prudentiæ committimus dilecti nostri filii Guillelmi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Pallotta cameræ Nostræ apostolicæ pro-thesaurarii generalis, ejusque pro tempore successorum, hac Nostra sanctionis pagina perpetuo ad Nostrum, et apostolicæ Sedis placitum piæ expositorum domui supradictæ concedimus, tribuimus, donamus, et libenter impertimur; eisdemque nosocomio, et piæ domui expositorum, eorumque moderatoribus, et præsidibus, ad quos nunc illorum re-

gimen, et gubernium pertinet, ac in posterum pertinebit, tributas respectivas annuas pensitationes libere persolvi a camera Nostra Ferrariæ, ejusque proventuum conductoribus modo, quo supra, et solitis anni temporibus præcipimus, ac mandamus.

*Emo cardin. Pallotta pro thesaurario hujusce vectigalis locandi cura committitur.*

§. 9. Atque, ut optatum sortiantur effectum, quæ salubriter constituta sunt quoad novam impositionem, sive augmentum unius quadrantis in singulas libras salis, illiusque solutionem universitati studiorum, nosocomio, et piæ domui supradictis, ut supra faciendam, ac ne super præmissis fraus, defectus, vel negligentia aliqua intervenire possit, dilecto eidem filio Guillelmo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Pallotta pro-thesaurario generali apostolicæ Nostræ cameræ, ejusque pro tempore successori committimus, et mandamus, ut ita, ac inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, aut spectabit, quolibet etiam adhibito juris, et facti remedio exequi, et observari faciat præcisam hanc, et expressam voluntatis Nostræ determinationem, modum circa præmissa præscribendo, capitula, instrumenta quælibet etiam locationis, sive appaltus novi hujus tertii quadrantis adjuncti, aucti, et inter reliquos camerales Nostros in dicta civitate, districtu, et ducatu existentes proventus, una cum aliis duobus quadrantibus a fel. rec. Clemente VIII. ut supra impositis connumerati, ac perpetuo uniti cum successivis generalibus eorumdem proventuum conductoribus, thesaurariis nuncupatis, solitis initis pactis, adjectisque clausulis stipulando: edicta, seu ordinationes necessarias, ejus, vel successoris arbitrio, adjectis in contravenientes pœnis sibi magis benevisis, condat, et publicari jubeat, quæ omnia Nos ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam condita, et gesta fuerint, confirmamus, approbamus, et ab omnibus, ad quos pertinet, aut pertinebit, observari, et exequi volumus, præcipimus, ac mandamus.

*Quid in novi vectigalis exactione ab hodierno Ferrariensi thesaurario præstandum sit, accurate præscribitur.*

§. 10. Quod vero attinet ad dilectum filium Antonium Gnudi eorumdem proventuum modernum generalem conductorem thesaurarium nuncupatum, a quo jam locationis conductionis inita fuit stipulatio cum camera Nostra apostolica volumus, ut pro nova hac indictione simplex etiam sufficiat obligationis syngrapha ab ipso subscribenda perinde habenda, ac si additio esset stipulationi ut supra quoad reliquos camerales proventus celebratæ, cujus virtute quamdiu ejus generalis conductio, seu appaltus, perdurabit, soluturum se in annos singulos spondeat scuta quatuor millia sexcenta monetæ Romanæ. Jubemus autem, et expresse eidem dilecto filio Antonio Gnudi onus adjicimus distinctis codicibus peculiares ineundi rationes; et separatum servandi computum ejus, quod singulis annis ex hoc tertio quadrante pro qualibet libra salis consequetur; id siquidem rectam præbebit normam futuris appaltuum successivis renovationibus, aliisque pontificiæ Nostræ beneficentiæ erga dilectissimos Nostros Ferrarienses subditos argumentis: et quia scimus, aliquas Ferrariensis districtus, et ducatus communitates, ut ipsarum privatæ œconomiæ consulant onere prægravari solutionis octo, et novem etiam quadrantium in quamlibet libram salis, idcirco ne justum illud hac nova impositione tollatur æquilibrium, quod in salis venditione custodiri oportet, eisdem communitatibus, illarumque decurionibus potestatem tribuimus, ut soluta quotannis ea quantitate, quæ ipsis, et pro tempore existenti camerali conductori, seu thesaurario congrua, eidemque novæ impositioni respondens videbitur, immunitatem ita ab hujus alterius quadrantis adjuncti solutione exemptionem assequantur.

*Novi census exactio, atque erogatio universitatis reformatoribus imponitur; præses instituitur, ejusque munera describuntur.*

§. 11 Exactionem autem prædictæ quantitatis scutorum trium millium singulis annis per hæc apostolica scripta universitati studiorum a Nobis perpetuæ donationis titulo addictæ fieri volumus a dilectis filiis reformatoribus perpetuis illius studii, eisdem modo, et forma, quibus hactenus reliqui universitatis redditus exigi consueverunt, eamdemque novam obventionem una cum cæteris quibuscumque redditibus in usus, œconomicum gubernium universitatis ejusdem, et expensas omnes, ordinarias tamen, et fieri solitas ab eodem collegio moderatorum, seu reformatorum secundum universitatis album, seu tabellam, quæ vel descripta sit, vel deinceps describi contingat, erogari, ac impendi similiter præcipimus, et jubemus. Cum autem nihil magis recto, et felici regimini, diuturniorique conservationi universitatum conferre jure merito prædecessores Nostri arbitrati sint, quam si aliquis eisdem præficeretur vir, qui in gravioribus negotiis operam, auxiliumque suum præstaret in illarum bonum, et utilitatem; Nos idcirco, ut pontificia universitas studiorum Ferra-

riæ effectu potiatur Nostræ, et apostolicæ Sedis perpetuæ clientelæ, ac specialis immediati patrocinii, in quod recipi obtinuit juxta prædictam constitutionem piæ memoriæ Clementis XIV., utque insuper majori semper cura, ac studio illius res agantur, motu item proprio, certa scientia, deliberatione, et de potestatis Nostræ plenitudine officium, et munus præsidentis, seu directoris dictæ universitatis studiorum, cui aliqua, ut infra, immineat cura regiminis universitatis ejusdem, et facultas insit statuta, præeunte tamen Nostro, et successorum Nostrorum oraculo, scientia, et approbatione, provisiones, et ordinationes illius studii in casibus vere dubiis declarandi perpetuo erigimus, creamus, instituimus.

Apostolicæ Sedi jure electionis perpetuo reservato; R. P. D. Jo. M. Riminaldi S. R. Rotæ auditor primus præses renunciatur.

§. 12. Ejusdemque muneris ad Nostrum, Nostrorumque successorum arbitrium duraturi, ac tribuendi alicui probatæ fidei viro doctrina, rerumque usu, et experientia præstanti, qui hic in Nostra Romana curia, resideat, quamvis Nostris, Sedisque apostolicæ servitiis addictus, et qui insuper seligendus sit vel ex dilectorum Nostrorum filiorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacro collegio, vel ex ordine dilectorum itidem filiorum Romanæ curiæ præsulum, ubi, et quoties opus fuerit, nominationem, electionem, et collationem Nobis, Nostrisque pro tempore successoribus pontificibus expresse, ac specialiter reservamus: quia vero de morum probitate, rerumque experientia dilecti filii Nostri magistri Joannis Mariæ Riminaldi patricii Ferrariensis cappellani Nostri, et causarum apostolici Nostri palatii auditoris, et certo Nobis constat, et plurimum in Domino confidimus, ipsum proinde, qui hactenus sui erga patriam, et scientias indubia studii argumenta præbuit, ac universitatem ipsam fere collabentem pro viribus servavit, et quem ob has causas dilecti filii reformatores studii generalis subscriptis precibus Nobis porrectis, literisque datis eidem dilecto filio cardinali Pallotta humiliter postularunt in primum Ferrariensis universitatis præsidem, sive directorem harum serie nominamus, creamus, eligimus, deputamus, atque uti talem ab omnibus, ad quos pertinet, et in posterum pertinebit, haberi, reputari, ac recognosci volumus, præcipimus, jubemus.

Munus præfecti studiorum; aliaque de oeconomia decernuntur.

§. 13. Et quoniam eæ Nos, inter cæteras, causæ impulerunt ad ita statuendum, et novum hunc conspicuum redditum universitati tribuendum, ut nimirum ædes, scalæ, novum bibliothecæ latus, seu accessiones, ac sacellum instaurarentur, reficerentur, et extruerentur; aliorum librorum, qui nuperis temporibus prodierunt copia bibliotheca eadem ditaretur; primaria jam erecta cathedra digestorum libris pandectis nuncupatis enucleandis, jurique publico explanando exerceretur; novæ etiam, quæ necessariæ essent cathedræ erigerentur, ac studiorum præcipue, et scholasticæ disciplinæ præfectus eligeretur, (quam quidem electionem prima hac vice ab ipso tantum præside, seu directore cum eo annuo honorario, quod congruum esse duxerit, successive autem a collegio reformatorum secundum statuta, et universitatis leges fieri volumus); præcipimus proinde, et mandamus, quod ex annuis scutis tribus millibus prudenti arbitrio dilecti ejusdem filii Joannis Mariæ Riminaldi præsidis, seu directoris, et reformatorum scuta mille annua erogentur in reficiendis ædibus, et scalis, extruendis bibliothecæ accessionibus, et in aliis donec perfecta fuerint extraordinariis expensis ædificiorum, et præcipue sacelli auctoritate ordinaria erigendi, ubi eos religionis actus studiosa juventus exerceat, quos universitatis moderatores duxerint esse præscribendos; reliqua vero scuta duomillia una cum reliquis quibuscumque studii generalis proventibus, ac redditibus in alias universitatis indigentias arbitrio pariter eorumdem reformatorum, ipsorumque pro tempore successorum cedant, et erogentur; coercentes Nos, suisque veluti limitibus cohibentes facultatem, et potestatem collegii reformatorum, eorumque successorum, ne ipsi, vel eorum aliquis audeat stipendia, et honoraria professoribus, et lectoribus, mercedes, ac salaria ministris, officialibus, seu inservientibus debita quavis de causa, etiam urgentissima augere, aut alias extraordinarias expensas pro ædificiis quoque construendis, ampliandis, vel instaurandis, pro destinatione novorum lectorum, et cathedrarum erectione peragere inconsulto eodem præside, et absque prævia ipsius, ejusque pro tempore successorum scientia, consensu, et approbatione: quin imo volumus, et præcipimus, ut idem moderatorum, seu reformatorum collegium in fine cujuslibet anni exactam gestæ administrationis, totiusque introitus, et exitus, debiti, et crediti universitatis prædictæ ipsi præsidi, seu directori perpetuis futuris temporibus rationem reddere, et

exhibere teneatur, atque ab eodem, prout juris erit, approbationem, et confirmationem obtinere: statutis, et fel. rec. Clementis XIV. illorum confirmatoria constitutione in ea etiam parte, qua eorumdem statutorum, legum, et ordinationum interpretatio, intelligentia, declaratio, aut extensio Nobis, et Romano pro tempore existenti pontifici reservata perpetuo fuit, aut aliis quibuscumque contrariis non obstantibus: quibus omnibus in his partibus, et ad effectum præmissorum tantum obtinendum expresse, et amplissime derogamus.

Reformatores præeminentiis, et privilegiis donantur.

§. 14. Sicuti autem decet, et expedit gratiis, ac favoribus eos prosequi, qui summo reipublicæ bono universitates studiorum moderantes ingentes curas, et labores, nulla præcipue spe lucri in id allecti quotidie subeunt; idcirco Nos volentes collegium dilectorum filiorum moderatorum, seu reformatorum supradictæ Nostræ universitatis studiorum Ferrariæ, et quemlibet ipsorum, qui nullius lucri cupidi, sed unice ob amorem, ac studium, quo erga patriam, et scientiarum incrementum feruntur in bene, et fideliter universitate administranda assiduos sibi labores assumunt, speciali quodam Nostræ benevolentiæ signo discernere, ac magis magisque decorare, et insignire; nedum confirmamus, et approbamus perpetuitatem ipsis (excepto judice sapientum, qui vel quolibet anno, vel exacto biennio respective alternis vicibus eligitur, et ad majus civitatis, et universitatis studiorum decus in reformatorum collegium cooptatus est) in respectivis muneribus tributam a fel. record. Clemente XIV. prædecessore Nostro per eas, quarum supra meminimus literas sub plumbo datas, cæterasque omnes eidem collegio, et reformatoribus indultas prærogativas, præeminentias, privilegia, et facultates, dummodo dispositioni præsentium non obstent; verum etiam, ut alios, et dilectos præsertim Nostros filios nobiles patricios Ferrarienses ad laudabilem quamdam emulationem, et concertationem excitemus, specialem ipsis, eorumque pro tempore successoribus gratiam facere cupientes, auctoritate, potestate, certa scientia, motuque proprio similibus illos, eorumque singulos in Nostros, et pro tempore existentis Romani pontificis honorarios familiares, et commensales creamus, et constituimus; quod si ipsi, vel eorum aliquis munus dimittere, eique renunciare voluerit, dimissionem, et renunciationem hujusmodi nullam, et irritam fore decernimus, et declaramus, nisi a Nobis, Nostrisque successoribus confirmata prius fuerit, et ratihabita.

Modus eligendi reformatores præscribitur.

§. 15. Postquam vero ipsorum aliquis viam universæ carnis ingressus fuerit, et alter in deficientis locum sufficiendus erit, volumus pariter, et sancimus, ut collegium reformatorum ad nominationem trium virorum iis pollentium qualitatibus, et prærogativis, quæ a statutis, et literis apostolicis illorum confirmatoriis requiruntur per secreta suffragia, ut moris est, deveniat, et quin triumviralis nominatio proponatur in magno consilio civitatis, ut electio sequatur juxta suffragiorum pluralitatem, statutis eisdem, provisionibus, et respectiva constitutione recol. mem. Clementis XIV. in hac parte a Nobis moderatis, reformatis, declaratis, et quatenus opus sit, abrogatis, non obstantibus; factam ut supra nominationem Nobis, vel Nostris pro tempore successoribus pontificibus exhiberi ab ipso præside, istiusque successoribus mandamus, præcipimus, et constituimus, ut omnium meritis ad justitiæ lancem recte libratis illum præeligere possimus, quem cæteris præferendum esse in Domino judicaverimus: eumque sic electum perpetuum reformatorem omnibus præditum honoribus, oneribus, prærogativis, antelationibus, privilegiis, ac facultatibus, quibus modo alii reformatores perpetui fruuntur, et gaudent, renunciabimus apostolicis Nostris literis in forma Brevis expediendis eodem prorsus modo, quo a Nobis, et ab apostolica Sede dilectis filiis nobilibus patriciis Ferrariensibus loca et subsellia in ipso magno consilio civitatis Ferrariæ tribuuntur, et assignantur, prout ex nunc pro tunc, et quando casus evenerit fieri volumus, et præcipimus.

Quæ publica habenda sint, munera declarat, et de iis quæ doctoratum requirunt pontifex disponit.

§. 16. Cupientes insuper quantum in Nobis est, controversias omnes quoad interpretationem ejusdem constitutionis fel. record. Clementis XIV. §. 24., et declarationum, quas successive uti delegatus apostolicus edidit venerabilis frater Hieronymus tunc tituli sanctæ Balbinæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Spinula, nunc episcopus Prænestinus, hactenus excitatas prorsus dirimere, ne in posterum disceptari contingat super collatione publicorum munerum, et officiorum illis debita, qui in album scholarium studii generalis descripti cæteras necessarias conditiones a statuto præscriptas probaverint; firma

principio esse volumus, et adamussim observari præcipimus ea omnia, quæ in ipsius Clementis decessoris Nostri apostolicis literis §. 24. continentur, ac propterea motu, scientia, et potestate similibus munera, et officia publica supradicta ea omnia esse decernimus, et declaramus, in quibus muneris collatio, sive officialis nominatio, electio, præsentatio, aut deputatio quovis modo ad quamlibet universitatem, congregationem, seu magistratum, vel quodcumque collegium, aut corpus tam politicum, quam œconomicum dictæ civitatis Nostræ Ferrariæ, quod publica erectum sit auctoritate pertineat; ita tamen, ut cuncta ea munia, et signanter gubernatorum, et judicum tam in civitate, quam in Ferrariensi ducatu, ad quæ obeunda doctoralis laurea exquiritur; illi etiam assequi possint, qui ad doctoratus gradum ascenderint ante annum 1771, quamvis scholasticæ frequentiæ prærogativa careant, aliisque ab ipsa constitutione, et statutariis legibus requisitis conditionibus destituti sint: cæterum qui post id tempus gymnasium neglexerint, neque studiis ibidem vacaverint, neque alia impleverint, quemadmodum statutis cautum est, licet doctoralem dignitatem eo anno 1771, aut deinceps adepti fuerint, eos nihilominus a publicis illis muneribus consequendis perpetuo exclusos esse volumus, atque decernimus.

De aliis muneribus, quæ doctoratum non exigunt disponitur: et lites avocantur, et dirimuntur.

§. 17. Reliqua vero munera, et officia publica, cujusmodi præ cæteris sunt = *il giudice*, *e notaro di argine*, *gli architetti*, *agrimensori*, *segretari delle congregazioni* = aliaque in dicta constitutione expressa, ad quorum assecutionem doctoralia insignia non requiruntur, eos etiam obtinere posse volumus, qui tempore datæ præsentium trigesimum ætatis annum compleverint, utcumque nec scholas frequentaverint, neque alias ab ipsa constitutione, editisque legibus, ac statutis præscriptas conditiones servaverint: cæteros autem, qui ætatem illam, dum has apostolicas literas scribimus non transegerint, perpetuo excludimus, et ad eorum assecutionem inhabiles reddimus, et esse declaramus; nisi omnia adamussim, quæ in eadem Clementis prædecessoris constitutione, et statutis continentur, impleverint, ac probaverint; præmissis, in partibus huic Nostræ declarationis, et sanctionis paginæ, aliisque contrariis non obstantibus; quinimo omnes, et quascumque causas, et lites super interpretatione supradictæ constitutionis §. 24. coram quocumque judice, et tribunali institutas, et adhuc vigentes, illamque præcipue, quæ modo agitur coram dilecto filio locumtenente in civilibus Nostræ civitatis Ferrariæ inter universitatem studiorum, et congregationem nuncupatam *della Bonificazione di zelo* quoad secretarii electionem ad Nos avocantes, eas, quarum statum pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus, penitus extinguimus, et litigantibus perpetuum silentium auctoritate apostolica imponimus.

Quæ studia pharmacopolis præmittenda sint, edicitur.

§. 18. Ut autem botanicæ scientia, quæ inter præcipuas medicinæ partes merito habetur, magis magisque in dicta universitate floreat, cujus sumptibus hortum medicum excolitur, et cathedra investigandis iis herbarum, et plantarum reconditis qualitatibus servandæ hominum valetudini apprime necessariis exercetur; motu similiter proprio, ex certa scientia, et plenitudine potestatis volumus, ac sancimus, quod nemo, ut infra, deinceps in aromatariorum officinas totius ditionis Nostræ Ferrariensis, ut pharmacopolæ artem discat, recipi, et admitti, multoque minus artem ipsam exercere possit, nisi prius in Ferrariensi universitate studiis botanicæ tempore a præside, ac reformatoribus constituendo sedulam se navasse operam demonstraverit: statutis, ac privilegiis quibuscumque quomodolibet, et quacumque auctoritate conditis, et respective Ferrariensibus pharmacopolis concessis, etiamsi a Romanis pontificibus specifice confirmata fuissent, aliisque contrariis non obstantibus; volumus imo, et jubemus, quod siquis ipsorum hanc adversus legem Nostram ausu temerario committet, eas pœnas etiam privationis, et perpetuæ ad artem exercendam inhabilitationis subeat, quas constituet idem dilectus filius Joannes Maria Riminaldi præses, et pro tempore director universitatis, cui potestatem quoque tribuimus una cum reformatoribus ferendis leges ab adolescentibus, qui eisdem Botanicæ studiis vacare voluerint, servandas, tempusque perfiniendi, a quo peculiaris hæc voluntatis Nostræ determinatio exequi, et observari debeat.

In quas caussas cedant oportet annua sc. 1000. nosocomio adscripta.

§. 19. Quo tandem pertinet ad exactionem ex parte nosocomii sanctæ Annæ, et piæ domus expositorum Ferrariæ pro ratis, ut supra, virtute præsentium tributis, faciendam, annuarumque ipsarum pensitationum erogationem,

motu item proprio, ac de apostolicæ potestatis plenitudine sancimus, ut, quæ a nosocomio exigentur annua scuta mille, ea pro rata scutorum quingentorum annis singulis erogentur in emptionem quinque locorum montium dictæ Nostræ civitatis, idque fieri debeat quoad usque expletus fuerit numerus locorum quadraginta eorumdem montium, ut ita redintegretur capitale totidem ferme locorum, quod ingruentibus nosocomii necessitatibus ob ingentem numerum infirmorum elapsis annis distrahi, et alienari debuit; reliqua vero annua scuta quingenta impendantur in augendis cubilibus, linteis, aliisque rebus, quæ majus, et uberius auxilium, et levamen afferant pauperibus utriusque sexus infirmis, et valetudinariis ad illud confluentibus, idemque fieri debeat de aliis annuis scutis quingentis, ubi, et postquam completus, et absolutus prorsus fuerit numerus eorum quadraginta locorum, quæ, ut diximus, acquirenda erunt; eidemque nosocomio onus perpetuo adjungimus, ut universitati studiorum, ubi opus erit, cadavera necessaria pro publicis, et privatis anatomicis demonstrationibus, studiisque præbeat, omniaque alia media exhibeat pro his praxis studiis, quæ ad operam dantibus medicinæ, chirurgiæ, et anatomiæ fieri contigerit, quæ omnia ab ejusdem nosocomii moderatoribus, præsidibus, cæterisque aliis, ad quos pertinet, et in posterum pertinebit accurate, et diligenter observari, et exequi districte præcipimus, et mandamus.

Annua sc. 600. projectis donata in dotes, puellarum, et puerorum institutionem erogentur.

§. 20. Alia autem annua scuta sexcenta perpetuo, ut supra, a Nobis addicta, et tributa piæ domui expositorum ejusdem civitatis, postquam tamen prius patrimonium suppressæ societatis Jesu nuncupatæ redintegrationem ex toto obtinuerit expensarum, quarum supra meminimus, ab illis, qui eidem loco pio præsunt, et in futurum præerunt vel ad quos spectat, et pertinebit pro ipsorum justo, et prudenti arbitrio erogari ex parte in augendis dotalibus subsidiis pauperibus puellis projectis, dum nupserint præstandis; ex parte vero altera in utilitatem converti, et meliorem educationem pauperum puerorum, qui modo pubertatem nondum egressi, et vix duodecimum ætatis annum agentes pia domo egredi coguntur, volumus, et expresse mandamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 21. Decernentes præsentes literas, quas in in camera Nostra apostolica, ejusque codicibus juxta constitutionem fel. recor. Pii IV. decessoris Nostri præsentari, insinuari, et registrari volumus perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et in posterum spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, neque ex eo, quod ad id interesse habentes vel habere quomodolibet contendentes vocati, et auditi non fuerint, vel quia istæ nulla subsistente causa, vel etiam de facto processisse dici possent, seu etiam processerint, aut ex alia quavis juridica, et legitima, ac necessario exprimenda causa, vel quocumque prætextu de nullitatis vitio, seu intentionis defectu notari, impugnari, invalidari, rescindi, retractari, et ad juris terminos reduci, aut in jus, vel controversiam revocari, seu adversus ipsas quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium, aut oris aperitionem impetrari, vel etiam motu, et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis constitutionibus, ac Nostræ, et apostolicæ cancellariæ regulis sive editis, sive edendis, literisque apostolicis in contrarium etiam motu proprio, et concistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, et eum, in quo ante præmissa erant, validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriore data per nunc, et pro tempore existentes præsidem, reformatores studiorum universitatis Ferrariæ, et administratores eorum locorum piorum, seu aliquem ex eis quandocumque eligenda, concessas, validasque, et efficaces fore, et esse: sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, delegatos, quævis licet collegialia tribunalia thesaurarium generalem, cameræ Nostræ clericos, causarum sacri Nostri palatii auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, aut apostolicæ Sedis nuncios, et quamcumque eorumdem congregationem apostolica auctoritate super his quandocumque deputandam, seu per quemcumque alium judicem speciali nota dignum, sublata eis, et ipsorum cuilibet aliter judicandi, definiendi, aut interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, definiri, et interpretari perpetuis futuris tempo-

ribus deberi; ac irritum, et inane ex nunc quidquid secus super his, et contra formam, ac dispositionem præsentis paginæ Nostri motus proprii simplici etiam Nostra subscriptione valituræ a quopiam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, apostolica auctoritate decernimus, statuimus, et declaramus.

Derogatur contrariis.

§. 22. Non obstantibus ejusdem, quatenus opus sit, cancellariæ Nostræ regula de jure quæsito non tollendo, nec supradictis Clementis VIII., et Clementis XIV. prædecessorum, aliisque super universitate, et super privilegiis quocumque ex capite, et titulo etiam oneroso stricte sumpto, et exemptionibus dictæ Nostræ civitati, districtui, ac ducatui tributis, in partibus tamen contra præmissa quomodolibet disponentibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ejusdemque universitatis studiorum, nec non civitatis, districtus, et ducatus prædicti, quatenus opus sit etiam juramento, confirmatione apostolica specifica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, provisionibus, ordinationibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis cum quibusvis clausulis, et decretis etiam motu simili, et concistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, atque in futurum concedendis, approbandis, et innovandis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi eisdem præsentibus pro expressis, perinde ac si in eis de verbo ad verbum inserti forent, habendis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu, et potestatis plenitudine paribus, specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio, et fides habenda transumptis.

§. 23. Volumus insuper, eademque auctoritate mandamus, ipsas præsentes, seu earum transumpta in locis solitis dictæ Nostræ civitatis Ferrariæ, et ad valvas palatii universitatis, atque in aliis oppidis, et castris districtus, et ducatus eorumdem, ut moris est, publicari, et affigi; sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent: utque præsentium transumptis, seu exemplis impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ ex palatio Nostro apostolico Quirinali hac die XXIII octobris MDCCLXXVII.

---

## CLIX.

Dat. die 3 novembris 1777. Anno III.

Erectio cathedralis Olomucensis in metropolitanam ecclesiam etiam Olomucensem cum assignatione ecclesiarum suffraganearum.

Pius episcopus

servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proœmium.

§. 1. Suprema dispositione, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, super eminenti apostolicæ dignitatis specula meritis licet imparibus constituti, illiusque vices in terris gerentes qui gloriosus regnat in cœlis inter cæteras curas humeris Nostris incumbentes illam libenter amplectimur, per quam Nostræ provisionis ope cathedralis ecclesiæ dignioribus titulis licet metropolitanarum ecclesiarum illustrentur, et condignis favoribus attollantur. Cumque id statui et decori ecclesiarum maxime congruat, et pia personarum regia potestate fulgentium vota requirant in his solicitudinis Nostræ partes favorabiliter interponimus ac opem et operam Nostras impendimus efficaces, ut illæ per Nostræ vigilantiæ ministerium votivis gratulentur eventibus, et felicia in spiritualibus suscipiant incrementa.

Ad supplicationem imperatricis Mariæ Theresiæ erectio decreta fuit.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Bohemiæ, et Hungariæ regina apostolica, uti Moraviæ marchionissa inter ejus de ortodoxæ religionis incremento præcipua studia pro ecclesiasticæ quoque hierar-

chiæ amplitudine, et decore solicita cathedralem ecclesiamOlomucensem Sedi apostolicæ immediate subjectam, et quæ ad præsens pastoris solatio destituta existat, relicto cathedralitatis titulo ad altiorem honoris gradum erectam cernere cupiens, Nobis preces porrexerit quatenus ipsam cathedralem ecclesiam Olomucensem Sedi apostolicæ prædictæ, ut præfertur immediate subjectam in archiepiscopalem metropolitanam ecclesiam assignatis ei desuper, ut infra suffraganeis ecclesiis erigere dignaremur. Nos audito prius super hujusmodi petitione congregationis venerabilium fratrum Nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, rebus consistorialibus præpositæ consilio, et voto, ac dilectorum filiorum modernorum capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Olomucensis ad hoc expresse accedente consensu, tam piæ dictæ Mariæ Theresiæ imperatricis, et reginæ apostolicæ desiderio annuere volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine dictam cathedralem ecclesiam Olomucensem, et in ea titulum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam cathedralitatis, quod illa, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus ecclesia cathedralis esse desinat, et de cætero uti talis denominari, inscribi censeri, et intelligi amplius nequeat, nec non dignitatem episcopalem apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Tenor erectionis, et privilegiorum concessorum.

§. 3. Illisque sic suppressis, et extinctis dictam cathedralem ecclesiam per Nos, ut præfertur, suppressam, et extinctam de apostolicæ potestatis plenitudine pari in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam Olomucensem, et in ea Sedem, et dignitatem archiepiscopalem pro uno deinceps archiepiscopo Olomucense, qui pallii, et crucis usum aliorum archiepiscoporum more habeat, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa, archiepiscopali, omnibusque aliis archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, et prærogativis archiepiscopis debitis, et concessis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis quibus aliæ metropolitanæ ecclesiæ earumque respective præsules quomodolibet, non tamen titulo oneroso vel ex indulto, aut privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore sedis archiepiscopalis et metropolitanæ dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus, nec non futurum et pro tempore existentem præfatæ metropolitanæ ecclesiæ Olomucensis per Nos, ut præfertur, erectæ, præsulem in archiepiscopum apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo declaramus, eique, ut cætera singula prout metropolitanis in eorum civitatibus, diœcesibus, et provinciis a jure inultum existit, facere, exercere, administrare, et exequi possit dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Assignatio suffraganeorum.

§. 4. Ac præterea eidem metropolitanæ ecclesiæ Olomucensi per Nos, ut præfertur, erectæ, unam videlicet Brunensem nuncupandam in Moravia hujusmodi per Nos odie sub certis modo et forma similiter erectam, et alteram ecclesias episcopales Oppaviensem in Sileria superiori suo tempore etiam per Nos erigendam, eorumque, et futuros pro tempore respective existentes episcopos pro ejusdem futuri archiepiscopi Olomucensis pro tempore suffraganeis, qui tamquam membra capiti, eidem futuro archiepiscopo Olomucensi jure metropolitano subsint; ita quod archiepiscopus Olomucensis pro tempore existens prædictis in Brunensi et Oppaviensi civitatibus, et diœcesibus jus metropoliticum sibi vindicet, nec non Brunensis, et Oppaviensis ecclesiæ prædictæ eidem futuro pro tempore archiepiscopo Olomucensi ad omnia, et singula teneantur, et sint adstrictæ, atque suffraganei suis metropolitanis ecclesiis, et illarum metropolitanis tenentur, et obligati sunt, et judicantur secundum canonicas sanctiones dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et assignamus. Ac eidem futuro archiepiscopo Olomucensi præfatos suos suffraganeos consecrandi, ad provinciales synodos evocandi, ac cum eis etiam publica negocia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive quærelas alias ad eum tamquam metropolitanum juxta decreta concilii Tridentini devolutas, ac alias juxta sacrorum canonum statuta spectantes agnoscendi, omniaque alia, et singula, quæ de jure vel consuetudine, aut alias quoquo modo ad archiepiscopos, et archiepiscopale munus spectare, et pertinere solent, et debent gerendi, faciendi, et exercendi plenam, et liberam, ac omnimodam auctoritatem concedimus, et facultatem.

Concessio favore capituli juris eligendi episcopum in vacationibus.

§. 5. Et insuper prædictos modernos, et pro tempore existentes capitulum et canonicos ipsius cathedralis ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum, et canonicos dictæ metropolitanæ ecclesiæ Olomucensis per Nos, ut præfertur, erectæ, salvis, firmis, et illæsis remanentibus favore eorumdem capituli, et canonicorum ut infra subrogandorum, tam jure canonice eligendi perpetuis futuris temporibus quoties eamdem metropolitanam ecclesiam Olomucensem per Nos, ut præfertur, erectam quovis modo pastoris solatio destitui contigerit personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem prævia electionis hujusmodi etiam pro tempore faciendi confirmatione dictæ metropolitanæ ecclesiæ Olomucensis per Nos, ut præfertur, erectæ in archiepiscopum præficiendum sicuti hactenus iidem capitulum et canonici ut infra subrogandi episcopum Olomucensem eligere consueverunt, quam omnibus aliis juribus, privilegiis, redditibus, ac cæteris quibuscumque, quibus hactenus ipsi capitulum, et canonici, ut infra subrogandi gavisi sunt, perinde ac si status cathedralitatis hujusmodi minime immutatus foret eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo substituimus et subrogamus.

Clausulæ salutares.

§. 6. Decernentes præsentes semper, et perpetuo validas, efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio quantumvis magno substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat æditas, et in posterum ædendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictæque cathedralis ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, nec non cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam isnerti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissme ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, harum serie, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, derogationis, declarationis, concessionis, indulti, assignationis, facultatis, concessionis, substitutionis, subrogationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo nonis novembris pontificatus Nostri anno tertio.

## CLX.

Dat. die 17 novembris 1777. Anno III.

Præscribitur modus, et forma in manutentione, et guberoio hospitalis expositorum civitatis Faventinæ.

### Pius. PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

*Pater cœlestis, qui immensam misericordiam suam sine ullo adjutorio explere potest, frequenter miserorum languoribus per homines subvenit; omniumque Dominus servis pietatis officia præstantibus ampliora pollicetur et præmia. Sane inter præcipua christianæ charitatis opera non immerito recensentur, quæ pueris expositis deferuntur; vix enim in lucem editi, ipsa horrescente natura, a genitoribus derelicti in necessariis deficiunt, cum necessitates ipsas nequidem agnoscant. Hinc pia loca expositis hujusmodi excipiendis, alendis, et instituendis destinata apostolicæ Sedis benignitas providentiæ suæ auctoritate, et favore prosequitur, ut talibus pauperibus quoquomodo vel necessaria, vel utilia, vel etiam commoda valeant procurari. Humana autem sic ferunt quandoque consilia, ut quæ provida deliberatione alias constituta sunt, operæ prætium sit, spe melioris futuræ frugis, vel interdum mutare. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii præsidentes, seu deputati hospitalis sub titulo sanctæ Mariæ de Misericordia, seu potius* Casa di Dio *nuncupati civitatis Nostræ Faventinæ ad excipiendos pueros expositos ejusdem civitatis, et diœcesis jam ab antiquo tempore erecti, quod hodierna ejusdem hospitalis conditio ex inopia, et angustia continuo ruit in deterius, et omnimodam minatur ruinam. Eapropter Nos dilecto filio magistro Valentino Mastrozzi congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium civitatum, et terrarum status Nostri ecclesiastici Bono Regimini præpositorum secretario commisimus, ut relationem tam super statu œconomico hospitalis prædicti, quam super providentiæ remediis ad illius utilitatem, manutentionem, ac subsistentiam necessario adhibendis acciperet, ac Nobis subinde referret. Acceptis itaque et a moderno episcopo Faventino, et a præsidentibus, seu deputatis hospitalis hujusmodi opportunis relationibus idem magister Valentinus Nobis exposuit,*

Hospitalium expositorum præstantia.

Status oeconomicus hujusmodi hospitalis Faventiæ.

*quod ejusdem hospitalis miserrimus status eo devenerat, ut propter angustias, et inopiam ipsius conditio versa sit in deterius, et magis in dies labatur in pejus. Quamobrem Nos horum malorum gravitate commoti paternum animum Nostrum, et curas ad illa avertenda intendere, ac pium ejusdem hospitalis institutum, ac gubernium providis sanctionibus ad publicam, et ipsorum expositorum utilitatem communire decrevimus. Et quoniam ex ejusdem magistri Valentini relatione compertum habuimus ærumnarum hujusmodi originem quatuor ex causis, non obstante solicitudine, ac studio præsidentium dictæ piæ domus, emanare, nimirum ab æris alieni copia cum fœnore, qua ipsa obruitur, et cujus summa in sorte ad decem millia, et quadringenta scuta circiter ascendit; deinde ab excessu octingentorum scutorum similium, quo, subductis rationibus, redditus, et proventus quotannis a necessariis superantur impensis; insuper ex hospitalis prædicti, eiusque situs angustia, ex quo fit, ut, cum expositorum numerus inter mares, et fœminas ad sex, et ducentos usque excreverit, impar omnino sit ad ibidem instituenda, et perficienda opificia, in quibus ipsi projecti sese possint exercere; demum ex defectu regiminis, et œconomicæ administrationis hospitalis, et piæ domus hujusmodi, dum id ex allatis circumstantiis projectorum institutioni, et profectui, ac rei familiaris administrationi satis apte accomodari non potest. Hinc est, quod Nos ad tollendas hujusmodi causas in perniciem et exitium hospitalis prædicti cedentes, ipsi magistro Valentino dedimus in mandatis, ut nonnullas sanctiones, leges, regulasque ad œconomicam manutentionem, et ipsius hospitalis, puerorumque in eo degentium utilitatem, et gubernium ex nostra sententia decretas, et accomodatas in posterum servandas congereret, quæ etiam Christifidelium ad pium opus hujusmodi fovendum, augendumque essent incitamento. Interea sanctionibus, legibus, regulisque prædictis in unum collectis idem magister Valentinus Nobis mox retulit, quarum tenor est, qui sequitur, videlicet*

Causæ ejus decadentiæ.

Æs alienum quo gravatur.

Inæqualitas inter redditus, et necessarias expensas.

Angustia domus.

Ex ipsis causis deficientia utilis regiminis.

Providentiæ a Sanctissimo decretæ, et de ejus mandato exaratæ in folio.

*Primo.* Sia ammessa *ex officio* la communità di Faenza ai luoghi del monte comunità per la somma di scudi tredicimila, e per altra somma di scudi tremila vi sieno similmente ammesse le comunità di quella diocesi situate nello stato Pontificio con quella ripartizione, che verrà fra loro fatta dalla sagra congregazione del Buon Governo, ad effetto che degli scudi sedicimila provenienti da tali ammissioni, erogata la somma occorrente per la totale estinzione de' debiti, de' quali è gravato lo spedale de' projetti di Faenza detto di s. Maria della Misericordia, o la casa di Dio, sia la somma residuale depositata a disposizione della stessa sagra congregazione del Buon Governo per essere impiegata in sussidio delle spese, che occorreranno tanto nell' adattare all'uso necessario il nuovo edificio, che come appresso viene destinato al medesimo spedale, quanto nell' introdurvi, e stabilirvi quei lavorieri, che si stimeranno più confacenti all' esercizio de' projetti, e più proficui al luogo pio.

Ejusdem folii tenor

Admissio ad L. L. montium facienda ex officio communitatis Faventiæ pro sc. 13. mil. et communitatum ejus dioecesis pro aliis sc. 3 mil.

Illarum pecuniarum erogatio in extinctionem æris alieni hospitalis

Et in expensas pro ejus indigentia, et utilitate addispositionem sacræ congregationis Boni Regiminis

*Secondo.* Tutto il debito proveniente come sopra dall' ammissione a luoghi di monte quanto alla comunità di Faenza, ed alle altre della sua diocesi situate nella legazione di Romagna, ciascuna per la rata, che come sopra le verrà addossata, si descriva nella respettiva tabella del conto privilegiato assieme con i suoi frutti, dichiarandosi, che al pagamento di essi frutti, ed all'estinzione del capitale di un tal debito dovranno indistintamente contribuire tutti quelli, che quantunque privilegiati, e privilegiatissimi degni di speciale, ed individua menzione furono dichiarati tenuti alle tasse de' due milioni, e 820 m. scudi per le spese de passaggi delle truppe estere; ma siccome è desiderabile, che per questa causa non si aggiungano, per quanto sia possibile, nuove collette, e gravezze, così il termine prefisso in dette tabelle all' estinzione de' debiti del conto privilegiato sia prorogato quanto bisognerà in maniera, che col benefizio di tal proroga senza nuove imposizioni, ma con gli assegnamenti, che vi sono già fissati, sia provveduto anche al pagamento de' frutti, ed estinzione del nuovo debito, che per detto spedale vi sarà aggiunto: che se qualcuna di dette comunità non avendo debito nel conto privilegiato, non avesse per conseguenza assegnamento, in tal caso debbasi subito dal pubblico consiglio coll' intervento de' deputati ecclesiastici risolvere l' assegnamento proporzionato al debito da accollarsi come sopra, ed ottenerne l'approvazione della sag. congregazione del Buon Governo. Quanto poi alle comunità di detta diocesi situate nella legazione Ferrarese resti commesso al sig. cardinal legato di Ferra-

Modus extinguendi debitum ut supra contrahendum a dictis communitatibus

Cum comprehensione omnium privilegiatorum

Etiam quoad communitates dictæ dioecesis

*in legatione Ferrariensi contentas*

ra il provvedere al pagamento de'frutti, e sorte del debito, che sarà come sopra loro addossato, o con lo stesso mezzo, o con altro, che crederà egli più proprio, servata sempre la generale, ed indistinta comprensione di tutti anche privilegiatissimi come sopra dichiarata.

*Extinctio congregationis sancti Philippi Neri Faventiæ*

*Terzo*. Si sopprima, abolisca, estingua, ed annulli, e per soppressa, abolita, estinta, ed annullata si abbia dal dì xxv. novembre 1777 la congregazione, che esiste nella città di Faenza, dell'Oratorio di s. Filippo Neri consistente ora in due soli sacerdoti, e due laici, ed i beni, rendite, crediti, ragioni, e diritti, come pure i mobili, e suppellettili sì di casa, che di chiesa ad essa congregazione appartenenti, de'quali si dovrà subito fare esatto, e legale inventario, interamente si applichino, concedano, ed incorporino al detto spedale de' Projetti assieme con i pesi, debiti, legati, obblighi, e vincoli, de' quali sono detti beni, e diritti gravati, sostituendosi la chiesa di esso spedale per l'adempimento degli obblighi, e legati di messe, che vi fossero, e lasciandosi di detta casa, e chiesa dell' oratorio, attesa tale soppressione, il regresso a chi di ragione appartiene. Ma sopra le accennate rendite, e beni sieno assegnati ai suddetti due sacerdoti (ciascuno de' quali pagava alla medesima congregazione dell' oratorio annui scudi venti a titolo di dozzina, che per la risoluta suppressione non avrà più luogo) annui scudi quaranta per ciascuno di essi loro vita naturale durante, o finchè non sieno altronde provveduti dell'equivalente, con procurarsi in oltre da monsignor vescovo di far loro conseguire in quella chiesa, ch'egli crederà, l'elemosina quotidiana delle messe da celebrarsi per loro stessi, e parimente sieno assegnati ai suddetti due laici loro vita naturale durante annui scudi quaranta per ciascuno di loro, quando pure i presidenti dello spedale de' projetti con l'oracolo di monsignor vescovo non giudicassero di dar loro, o ad alcuno di loro di consenso qualche impiego ad arbitrio in servizio della chiesa, o casa di esso spedale, nel qual caso, e durante l' impiego non debba aver luogo l'accennato assegnamento. De' mobili poi, e suppellettili di casa, e chiesa della detta congregazione dell'Oratorio, che non saranno necessarj, o adattabili al servizio della chiesa, e respettiva casa di detto spedale, si procuri la vendita con le solite regole, e il ritratto sia erogato per l'entrante quantità nell' estinzione de'debiti fruttiferi di essa congregazione da trasferirsi come sopra nello spedale, ascendenti in capitale alla somma di scudi mille duecento sessantuno.

*Ejusque bonorum, redditum, et jurium applicatio hospitali una cum oneribus, et debitis*

*Qualis pensio sit assignanda duobus sacerdotibus, et duobus laicis dictam congregationem nunc componentibus Et in quibus casibus sit cessanda*

*Usus mobilium et suppellectilium dictæ congregationis*

*Permutatio monasterii, et ecclesiæ sanctæ Mariæ Angelorum monachorum Cisterciensium cum collegio, et ecclesia nuper ad extinctam societatem Jesu, postremo ad seminarium Faventiæ spectan.*

*Concessio dicti monasterii, ejusque ecclesiæ, et annexorum hospitali expositorum*

*Quarto*. Si trasferisca per ragione di reale permuta il monastero, e chiesa detta di santa Maria degli Angioli de'monaci Cirsterciensi Toscani, situati ne'suoi noti confini entro la città di Faenza, nel collegio, e chiesa parimente in Faenza con casa, e forno annesso già spettanti all'estinta compagnia di Gesù, e di poi ceduti nel pontificato della santa memoria di Clemente XIV. a benefizio di quel seminario; e contestualmente si conceda, e trasferisca al detto spedale de'projetti in ragione di libero dominio, e proprietà il monastero, e chiesa suddetti di santa Maria degli Angioli, ed orto annesso ora spettanti a detti monaci Cisterciensi Toscani, i quali ne sono già stati preventivamente intesi.

*Cum reciproca translatione omnium, jurium, rerum, et onerum.*

Nel collegio, e chiesa con casa, e forno annesso, che come sopra acquisteranno in permuta i detti monaci Cisterciensi, si trasferiscano, e si abbiano per trasferiti i vincoli, pesi, obblighi, debiti, ipoteche, crediti, diritti, e ragioni, e respettivamente il titolo, la commenda, le sagre imagini, e reliquie, la confraternita, i mobili, e suppellettili, come pure ogni ragione, diritto, e prerogativa con gli atti possessorj, e giurisdizionali dell'abbate commendatario *pro tempore* nel modo, e forma, che ora si trovano nel presente monastero, e chiesa di santa Maria degli Angioli. E parimente si trasferiscano, e si abbiano per trasferiti nella presente chiesa, e monastero con orto di detti monaci, che acquisterà come sopra il detto spedale de'projetti, non solo il titolo, i diritti, ragioni, pesi, obblighi, ipoteche, mobili, suppellettili, sagre imagini, e reliquie, che ora sono nella presente casa, e chiesa di esso spedale, ma ancora i pesi, obblighi, vincoli, ipoteche, diritti, e ragioni, come pure i mobili, suppellettili, e sagre imagini, e reliquie (eccettuati però tutti quelli, o quelle, che si fossero da monsignor vescovo in qualunque modo già distratti, ed in altrui dominio già trasferiti, mentre su di essi, o esse non potrà mai avere lo spedale alcun diritto, o ragione) che spettavano al collegio, e chiesa dell' estinta compagnia di Gesù nel modo, e forma, che come sopra ne fu fatta la cessione al detto seminario di Faenza.

*Declaratio super mobilibus, et suppellectilibus*

Domus, et ecclesiæ nunc ad usum hospitalis concessio seminario facienda;

Si conceda, e trasferisca a benefizio, e in pieno dominio, e proprietà del medesimo seminario di Faenza, il quale dovrà sperare in appresso anche altri benigni riguardi, l'edificio, che ora serve per lo spedale suddetto con sua chiesa annessa, dandosi ogni facoltà all' ordinario di farne la vendita anche con secolarizzare la stessa chiesa, e di erogarne il ritratto nell' uso, che egli giudicherà più necessario, o più proficuo ad esso seminario.

Cum facultate episcopo ecclesiam ipsam secularizzandi

Terminus ad dictas permutationem, et translationes faciendas.

Sia prefisso il termine di tre mesi dal giorno della notificazione a rendersi eseguite, e del tutto effettuate da ciascuna parte la permuta, e le respettive traslazioni, come sopra risolute; e quantunque il corpo, che come sopra acquisteranno in permuta i monaci Cisterciensi si consideri di maggior valuta di quello, che dimettono, anche in confronto delle loro respettive situazioni, nondimeno a contemplazione delle spese, che a causa di tale permuta ad essi monaci occorreranno per trasporti, ed altro, sieno ai monaci medesimi gratuitamente somministrati per una sola volta in tutto, e per tutto scudi seicento de'danari, i quali verranno come sopra depositati provenienti dall' accennata ammissione a luoghi di monte.

Scutorum sexcentorum gratuita subministratio monachis.

Aptatio dicti monasterii ad usum hospitalis

*Quinto*. Nell' edificio con orto annesso, e chiesa ora spettante a' monaci suddetti, e che come sopra acquisterà lo spedale de' projetti, si facciano con detti danari depositati i comodi adattati all' uso dello spedale medesimo colla divisione delle camerate, ed infermeria, e con tale distribuzione, che escluda in avvenire il bisogno di ritenere i projetti fuori del luogo pio. E specialmente si provveda di officine, ed attrezzi opportuni per quei lavorieri, che si stimeranno d' introdurre, e respettivamente ampliare per l' impiego de' projetti, locchè al loro profitto, ed all' utile del luogo pio dovrà tantoppiù contribuire.

Cum omnibus necessariis ad opificia erigenda, et respective amplianda pro exercitatione expositorum

Directio laboreriorum præscribenda, et a s. congregatione Boni Regiminis approbanda.

Quali poi debbano essere detti lavorieri, e con quale direzione, e sistema eseguirsi resti commesso a monsignor vescovo unitamente ai quattro presidenti dello spedale il prescriverlo con l' approvazione della sagra congregazione del Buon Governo, essendosi intanto sentito con piacere, e soddisfazione, che nel medesimo luogo pio sia già avviata l' arte di ben filare il cottore, il lino, e la canepa, e particolarmente il primo, e possa con facilità perfezionarsi ancora l' arte di tessere.

Sieno per conto del luogo pio tutti i lavori, che vi si faranno, ma gl' individui sieno eccitati a vieppiù diligentemente eseguirli, facendosi godere ai diligenti sull' utile ritratto dai loro respettivi lavori qualche premio, di cui dovrà dettagliarsi la quantità, e l' uso nel sistema da fissarsi, ed approvarsi come di sopra.

Loboreria omnia pro loco pio facienda, reservato diligentibus proemio.

*Sesto*. Sia assoluto il detto spedale da ogni obbligo di restituire alla comunità di Faenza le imprestanze, che ha finora dalla medesima percette in vigore di ordini dati nell' anno 1773. con lettera di segreteria di stato, ed all' incontro sia esente, e libera la comunità da ulteriori somministrazioni di tali imprestanze.

Absolutio tam hospitalis a debito cum communitate pro mutuis receptis, quam communitatis a novis hujusmodi præstationibus

*Settimo*. Sebbene siasi riconosciuto per ben inteso, e lodevole il presente regolamento di detto spedale, e siasi altresì rilevata non solo la vigilanza, e zelo, con cui monsignor vescovo s' interessa per il bene spirituale, e temporale di esso luogo pio, ma anche l' attenzione, e diligente assistenza, che vi si presta, non senza loro incomodo, ma con altrettanto loro merito dai presidenti *pro tempore*, nondimeno per vieppiù assicurare gl' interessanti oggetti della buona educazione, ed istradamento de' projetti, e di un ben regolato ed economico governo del luogo pio, quanto allo spirituale resti raccomandato a monsignor vescovo, che i sacerdoti da destinarsi per le confessioni, e per le cristiane istruzioni de' projetti dell' uno, e dell' altro sesso siano provetti, di sperimentata probità, ed esemplarità, e forniti della necessaria dottrina, e prudenza.

Laudatur vigilantia episcopi, et assistentia præsidentium

Nova methodus præfinienda.

Quanto poi al temporale, dei quattro presidenti, che per il corrente triennio esercitano due, e non uno come si è praticato, debbano rimanere nel susseguente triennio, e così praticare in appresso, onde in ogni triennio due soli nuovi presidenti debbano eleggersi nelle forme consuete, affinchè quanto minore sarà la variazione di quelli, che presiedono, tanto più costante sia l' osservanza, e pratica delle massime, sistema, e regole, che si saranno fissate.

Quoad electionem præsidentium

Il vestiario de'projetti sì maschi, che femmine venga intieramente somministrato dal luogo pio anche rispetto alla biancheria, e questo vestiario sia non solo modesto, ma anche uniforme nella qualità, colore, e forma,

Quoad vestiarium expositorum

specialmente per le femmine, e non sia in arbitrio di qualsisia degl' individui l' alterarlo, variarlo, o aggiungervi cosa alcuna.

Quoad exercitium masculorum

Si procuri d' impiegare anche tutti i maschj nei lavorieri del luogo pio, ma quando alcuno di essi fosse di talento, o costituzione non adattata a simili esercizj, onde fosse uopo di farlo ammaestrare in arte diversa fuori del luogo pio, si debba sempre invigilare sulla di lui condotta, e profitto, e non abbia egli a preterire le funzioni e leggi comuni agli altri; e siccome godrà al pari degli altri del vitto, vestito, e ricovero del luogo pio, così del medesimo luogo pio debba essere qualunque di lui guadagno, riservato il premio di sopra accennato.

Quoad tempus ipsos masculos dimittendi

Qualunque de' maschj non possa essere espulso dal luogo pio, se non avrà compiti gli anni venti, affinchè tantoppiù si abbia la morale certezza, che nell' uscire sia non solo bene istruito ne' doveri del cristiano, e dell' uomo onesto, ma anche in questi bene incaminato, e stabilito.

Sindicatus administrationis oeconomicæ quolibet anno ad s. congregation BoniRegiminis transmittendus.

*Ottavo*. Fissato un tal sistema con le accennate riforme, quanto all' economico, fatto ogni anno secondo il solito il sindacato, e questo approvato da monsignor vescovo, venga prontamente trasmesso alla sagra congregazione del Buon Governo con lo stato attivo, e passivo, e conto di entrata, ed uscita di esso spedale.

Ipsius s. congregationis jurisdictio, et facultates

Nono. Finalmente a detta sagra congregazione del Buon Governo appartenga il decidere, e provvedere sopra di ogni causa, emergente, incidente, e dipendente in qualunque modo riguardante l' amministrazione, e governo economico dell' accennato spedale, e il dichiarare, e definire ogni difficoltà, e dubbiezza, che fosse per insorgere nell' esecuzione delle sovraespresse provvidenze, o di qualsisia di loro, anche con implorarne, occorrendo, l'oracolo pontificio.

Sanctissimus sanctiones, et declarationes prædictas confirmat, et earum observantiam injungit.

*Quæ quidem omnia, cum in audientia diei ix. augusti proxime præteriti ad relationem ejusdem magistri Valentini jam approbata, et confirmata a Nobis fuerint, quibuscumque in contrarium etiam speciali mentione dignis minime obstantibus, ut demum firmius subsistant, et serventur exactius, per has Nostras literas communiri decrevimus. Nos igitur motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas literas, et in eis contenta, et expressa quæcumque auctoritate apostolica præsentium tenore approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum etiam substantialium, si qui forsan in iisdem intervenerint, defectus, supplemus et sanamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ congregationis cardinalium. Decernentes ipsas præsentes literas, et in eis pariter contenta, et expressa quæcumque, etiam ex eo quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, intimati, aut auditi fuerint, temetsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, citari, intimari, et audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quacumque juridica, privilegiata, et rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validatis præmissorum necessario exprimenda foret, causa, occasione, colore, prætextu, titulo, etiam oneroso, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, et enormissimæ, et totalis læsionis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiabli, formali, aut inexcogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicium, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse; sed easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causa-*

Omnes defectus sanat.

Cum clausula sublata. *rum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ cardinales etiam de latere legatos in quacumque causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad eadem præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis, ac universitatum, et locorum piorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xvii. novembris 1777. pontificatus Nostri anno tertio.*

Et decreto irritante

Nec non cum derogationibus amplissimis.

---

Dat. die 17. novemb. 1777 Anno III.

## CLXI.

Concessio indulgentiæ plenariæ consequendæ ab eis, qui die xi. mensis februarii visitaverint ecclesias ordinis servorum B. M. Virginis.

Pius Papa VI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis et operum præstandorum pro consequenda indulgentia

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti; omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum ordinis servorum B. M. Virginis, quam monialium dicti ordinis ubicumque existentibus die undecima mensis februarii a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Prohibitio recipiendi aliquid etiam sponte datum, et fides habenda transumptis

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; utque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxvii. novembris MDCCLXXVII. pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 29. novembr. 1777. Anno III.

## CLXII.

Reformatio capituli statutorum confraternitatis fabrorum lignariorum civitatis Firmanæ quoad electionem officialium dictæ confraternitatis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Pro injuncto infirmitati Nostræ sacrosancti apostolatus munere ad supremam totius catholicæ Ecclesiæ procurationem advigilantes maximis solicitudinibus licet assidue urgemur, ea quoque vehementer curare non omittimus, quæ cujuslibet peculiaris Ecclesiæ saluti, ac utilitati in Domino expedire intelligimus, quæque a luporum incursibus eas tutari, vel ab infectis pascuis Dominicum gregem salubriter arcere valeant.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Cum itaque pro parte dilectorum filiorum fabrorum lignariorum confraternitatis sub titulo, seu invocatione sancti Josephi in metropolitana ecclesia Firmana canonice, ut asseritur, ab anno usque MDLXXXVI. erectæ expositum fuerit, inter suæ confraternitatis statuta ordinaria, et apostolica auctoritate a felicis recordationis Clemente pp. XII. prædecessore Nostro per literas in forma Brevis communita hoc legi capitulum tenoris, qui sequitur, videlicet.

*Della elezione del nuovo priore, e consiglieri.*

Cap. III.

Tenor capituli inserti in statuto confraternitatis, et cujus reformatio expostulatur.

§. 3. L' elezione del padre priore e de' consiglieri si farà, in questo modo, che siegue, cioè, che ogni seconda domenica di febbraro debbano radunarsi col priore, o con quello, che sarà in suo luogo nel nostro solito oratorio tutti i fratelli, o la maggior parte di essi, o almeno ventiquattro di loro, e chiamati due religiosi, o cappellano dal provveditore, leggasi dal cancelliere il presente capitolo, con li due decreti emanati l' uno dal fu monsig. arcivescovo Giannotto Gualterio, e l' altro dall' emo Cenci, confermati dal presente illmo, e rmo arcivescovo, e manifestati poi quelli, a quali è vietato l' avere officio, secondo, che si dirà al suo capitolo, affinchè si ponga in esecuzione quel tanto, che si deve. Fatto questo, mandansi li medesimi poi in luogo destinato, e dicansi le preci, e le orazioni solite dal p. priore, esortando li fratelli a far buona elezione di officiali di tali qualità, per le quali possano, e debbano meritamente esser capi, e guide di tutti gli altri: fatto ciò il p. priore prima, li due consiglieri poi, e gli altri officiali di mano in mano, e finalmente tutti gli altri fratelli ad uno ad uno a dare i loro voti in persona di chi secondo la loro coscienza giudicheranno esser più degno, o più abile a tale ufficio, e quello, che alla fine avrà più voti, s' intenda esser legittimamente eletto per un anno prossimo avvenire. E se per avventura si trovassero alcuni eguali i voti, riducasi l' elezione alla sorte in questo modo. Scrivansi segretamente in polizette li nomi di quelli, che sono pari in voti, e pongansi dette polize in vaso, o cappello, di poi il priore ne cavi fuori una, e quello, a cui verrà la sorte, s' intenda essere eletto al priorato. Manifestato il nuovo priore da' medesimi religiosi, quali dovranno abbruciare il foglio de' voti in esso descritti, affinchè non si possa avere alcuna notizia di chi ne abbia più avuti, si abbino a creare li due consiglieri tutti nel medesimo modo, che si è detto del priore con *questa distinzione però, che il priore col secondo consigliere sia sempre un falegname, ed il primo consigliere col provveditore uno di campagna*, il che fatto cantansi da maestri de' novizj il Te Deum Laudamus, e l' orazione Deus qui corda fidelium etc. dal priore: e poi ciascun fratello se ne vada a far riverenza al nuovo priore in segno dell' obbedienza, che da tutti gli si deve.

Impetratio reformationis ipsius capituli.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, confratres extra cœtum confratrum fabrorum lignariorum adsciti ægre ferrent hujus capituli dispositionem, illiusque observantiam summopere declinare studeant, et hinc discordiæ, ac dissentiones inter ipsos, et fabros lignarios, unde eos uberes bonorum operum fructus, quorum intuitu hujusmodi laicorum confraternitates in Ecclesia Dei pie, sancteque fuerant institutæ, haud sperari possint; hinc præfati exponentes pacis, et charitatis cultores, cum parvæ res concordia crescant, discordia maxime dilabantur, humiliter supplicari Nobis fecerunt, ut hujusmodi contentionum, sussurrationum, detractionum, et seditionum zizania, quam inimicus homo superseminare tentaverat, opportune auctoritate Nostra priusquam subolescat, in semine elidatur.

Tenor reformationis decretæ.

§. 5. Nos igitur piis eorumdem confratrum fabrorum lignariorum precibus hac in re, quantum in Domino credimus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, statuta hujus confraternitatis, quoad electionem officialium sic reformare intendimus: volumus quippe, ut in electione officialium facienda initio proximi anni prior, et secundus consiliarius e cœtu confratrum fabrorum lignariorum eligatur; primi vero consiliarii officium alteri ex cæteris confratribus extra præfatum cœtum cooptatis conferatur; in subsequenti autem anno primi consiliarii munus alter ex confratribus fabris lignariis exerceat; in priorem porro, et secundum

consiliarium duo ex aliis memoratis confratribus adscitis deligantur, adeo, ut alternis vicibus, ac annis ad hujus reformationis tramites in posterum, et perpetuo hæc officia conferantur, eaque propter auctoritate apostolica, tenore præsentium præfata statuta in ea dumtaxat parte, quæ ad electionem officialium spectat, quæque desuper fuit inserta, emendamus, ac reformamus; volentes propterea quamcumque electionem, quæ adversus præsentem statutorum reformationem facere in posterum præsumeretur, nullam, invalidam, ac irritam reputari, ac pro nulla, invalida, et irrita haberi.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus, præfatorum statutorum confirmatione a felicis recordationis Clemente pp. XII. per literas in forma Brevis facta, rescripto alias a Nobis ad tempus concesso ad compescenda suborta dissidia, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima nona novembris millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

## LCXIII.

Dat. die 29 novembris 1777. Anno III.

Indultum ut in perpetuum missa et officium beatæ Mariæ virginis septem dolorum sub ritu duplici secundæ classis in diœcesi Mexicana recitari possit.

### Pius pp. VI.

### Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Apostolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati, atque infirmitati Nostræ, committere dignata est, ratio est, ut beatæ Mariæ virginis præsertim, quæ in suæ peregrinationis tempore cæteras creaturas tot cœlestibus gratiis, ac favoribus longe præstitit, et nunc in cœlis Nos homines peculiari modo protegit, ac fovet, quæque in acerbissima Christi domini passione fuit atrocibus doloribus perfixa, cultum, ac venerationem in terris eo meliori modo, quo in Domino credimus ad omnipotentis Dei gloriam, fideliumque edificationem, ac solamen promovere studeamus.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Cum itaque capitulum ecclesiæ metropolitanæ, et clerus civitatis, et diœcesis Mexicanæ in Indiis Nobis exponi fecerint, officium, et missam beatæ Mariæ virginis sub invocatione septem dolorum, quod ab ipsis usque adhuc sub ritu duplicis majoris feria sexta post dominicam Passionis recitatum, et respective celebrata fuit sub ritu duplicis secundæ classis celebrari, ac recitari posse plurimum desiderare.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos piis ejusdem capituli, ac cleri votis hac in re, quantum cum Domino credimus, favorabiliter annuere volentes, atque eorum exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum in civitate, ac tota diœcesi Mexicana feria vi. post dominicam Passionis officium sub ritu duplici secundæ classis recitari, ac missam celebrari libere, et licite possint, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus decretis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti cleri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis

§. 5. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum die 29. novembris 1777. pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 6 Decembris 1777 Anno III.

## CLXIV.

Confirmatio erectionis venerabilis congregationis piarum operariarum beatæ Immaculatæ Conceptionis in civitate Asculi in Piceno, cum gratiarum, et privilegiorum concessione.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Ex quo divina majestas ad pastoralis officii fastigium Nos quamquam immeritos evexit, quantum in Nobis fuit superno auxilio freti, conati sumus, ut divinus cultus, et catholicæ fidei propagatio, et animarum salus, opportunis remediis augeatur; et propterea ex nulla re majus solatium reportamus, quam cum nuntia Nobis optatissima afferantur, quod aliqui in vinea Domini cooperatores totis viribus adlaborent, ut Christifideles a prima usque ætate ad arctam salutis viam dirigantur, et ne ab hujus seculi illecebris divertantur, monasteria, scholas, aliaque loca pia erigendo, vel etiam propriis expensis dotando: quorum sane solicitudines intentis studiis, omnique alacritate promovemus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Cum itaque exponi Nobis nuper fecerit venerabilis frater Franciscus Antonius Marcucci ab Immaculata Conceptione nuncupatus, episcopus Montisalti, et in alma urbe vicesgerens, quod dudum et ab anno usque MDCCXLIV. fuerat ab ipso in civitate Nostra Asculi in Piceno erectum, atque institutum, propriisque sumptibus dotatum monasterium oblatarum sub titulo ac habitu Immaculatæ Conceptionis beatæ Mariæ virginis, quæ puellarum cristianæ æducationis ac disciplinæ, aliisque similibus pietatis et charitatis operibus jugiter vacassent, idque per triginta et tres solidos annos, non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione, divinique cultus augumento præstiterint et de præsenti quoque præstent; Nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut memoratis oblatis piarum operariarum titulum ac nomen in posterum concedere, earumque congregationem confirmare, necnon indulgentias, peccatorum remissiones tum personales, tum reales, ac locales, ceteraque indulta alias a summis pontificibus prædecessoribus Nostris monialibus Conceptionistis, et sororibus seraphici ordinis sancti Francisci de Assisio nuncupatis, concessa indulgere dignaremur.

Tenor preeum porrectarum

§. 3. Nos igitur ejusdem Francisci Antonii exponentis precibus, ut ad pia et religiosa opera hujusmodi exercenda præfatæ oblatæ juxta earumdem institutum promptiores reddantur, ac fructus bonorum operum, quos uberes usque adhuc protulerunt, eosdem uberes etiam in diem afferant, quantum hac in re in Domino possumus, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc hu-

Tenor confirmationis, et concessionis indultorum.

militer porrectis inclinati, prædictis oblatis ut supra erectis, titulum ac nuncupationem piarum operariarum concedimus, adeout in posterum hoc titulo in omnibus instrumentis, cæterisque actibus tum publicis tum privatis uti ac frui libere possint ac valeant, decernimus ac declaramus; earumdem itidem congregationem, erectionem, ac institutionem approbamus et confirmamus, illisque perpetuæ et inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, sicut desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Indulgentias pariter et peccatorum remissiones tam personales, et reales, quam locales, etiam plenarias, aliasque spirituales gratias, ac cetera indulta monialibus Conceptionistis, vel sororibus seraphici ordinis sancti Francisci de Assisio nuncupatis, hactenus per summos pontifices prædecessores Nostros, seu per illos ipsos concessas, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignas, et quibus eædem moniales Conceptionistæ, et sorores seraphici ordinis sancti Francisci, ex prædecessorum Nostrorum indulto de præsenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, ac gaudere possunt, pari modo uti, frui, potiri, ac gaudere libere ac licite possint et valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si indulta, gratiæ, indulgentiæ hujusmodi ipsis piis operariis, seu oblatis præfatis specialiter concessæ reperiantur, apostolica pariter auctoritate tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Præfinitio jurisdictionis cui piæ operariæ subjici debent

§. 4. Volumus tamen et perpetuo decernimus ac declaramus, quod memoratæ piæ operariæ nunc, et in posterum subjectæ remaneant omnimodæ jurisdictioni episcopi Asculani pro tempore existentis, necnon præsidentis ab eo approbandi, quibus illarum regimen tam spirituale, quam temporale, ac administrationem similiter perpetuo concredimus.

Exemptio a jurisdictione ordinarii Asculani usque ad obitum fundatoris.

§. 5. Volentes tamen ac declarantes, ut in memoratum Franciscum Antonium episcopum, illarum fundatorem, ob maximam illius solicitudinem ac studium in Christifidelium salutem cooperandam, Nostræ et apostolicæ benignitatis, et munificentiæ significationes conferamus, quod ipse, qui in præsenti, sicuti illarum præses, eas regit et gubernat, in posterum, et usque dum vivat eas tam spiritualiter quam temporaliter libere ac licite possit ac valeat, independenter omnino ab episcopi Asculani jurisdictione; a qua ad hunc effectum, et usque dum prædictus Franciscus Antonius vivat, eximimus ac liberamus.

Licentia fundatori concessa commutandi regulas.

§. 6. Imo cum ex longa ac diuturna triginta trium annorum experientia compertum sit, nonnullas ex statutis regulis, ordinationibus ac institutis reformatione indigere, eidem Francisco Antonio, ut eas mutare, alterare, moderari, prout in Domino censebitur, libere ac licite possit ac valeat, committimus et indulgemus.

Clausulæ salutares.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

9. Non obstantibus Nostra et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; statutis, et conventionibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo septingentesimo septuagesimo septimo pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 12 decembris 1777. Anno III.

## CLXV.

Confirmatio indulti camerario fabricæ tributi ven. ecclesiæ cathedralis Urbevetanæ cooperiendi scamnum panno viridi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Romanus pontifex altissimi regum regis, et dominantium Domini in terris vicesgerens inter gravissimas sui apostolatus curas, quibus assidue premitur, hanc quoque solicitudinem peculiari studio suscipere consuevit, ut ii, qui devotione, ac fide erga sanctam Sedem maxime commendabiles dignoscuntur, honoribus, et præeminentiis, sua, et Sedis apostolicæ benignitate decorentur, præsertim cum hi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio temporali subditi sint, quo beneficio devincti, et in eadem devotione, ac fide erga ipsam Sedem apostolicam sincere persistant, et eorum exempla alii ad similia præmia promerenda inducantur.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Hinc cum Nobis pro parte dilectorum filiorum nobilium civitatis Nostræ Urbevetanæ expositum fuerit, alias a felicis recordationis Benedicto XIV. prædecessore Nostro supplicationibus confalonerio, et conservatoribus dictæ civitatis per literas in forma Brevis expeditas xxix. julii 1750. ad consulendum honorificentiæ officii, ac decori camerarii fabricæ cathedralis ecclesiæ Urbevetanæ fuisse perpetuo statutum, ac ordinatum, quod deinceps pro tempore existens camerarius in quibusvis publicis functionibus in ecclesia cathedrali prædicta pro tempore habendis, quibus dilecti itidem filii magistratus civitatis præfatæ interesse solent, locum subtus scamnum, quo magistratus hujusmodi in dictam ecclesiam gaudet, ac sedem vulgo, ut dicitur, *camerale*, ac scabellum, vulgo *inginocchiatojo*, ac stratum vulgo *suppedame* semper habere, illisque libere, et licite uti, et potiri, ac gaudere possit, et valeat. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatum scamnum nullo panno esset coopertum, unde vix, ac pene vix quidem a certis communibus scamnis secerneretur, hinc prædicti exponentes novas preces obtulerunt recolendæ memoriæ Clementi XIV. itidem prædecessori Nostro pro concessione indulti, ad hoc, ut præfatum genuflexorium camerario fabricæ concessum panno viridi decenter cooperiatur, idemque camerarius post magistratum immediate per ministrum superpelliceo indutum thurificetur unico ductu, et denique in missa solemni per ejusmodi ministrum detur pax cum instrumento ab ipso osculando.

Privilegium tributum a Clemente XIV.

§. 3. Ipse vero Clemens prædecessor Noster hujusmodi supplici libello cum consilio venerabilium fratrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacrorum rituum negotiis deputatorum benigne indulserit; Nobis propterea præfati nobiles exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut nedum præfatas literas Benedicti XIV. prædecessoris Nostri in forma Brevis expeditas, et memoratum Clementis XIV. itidem prædecessoris Nostri decretum, ut firmius subsistant auctoritate Nostra apostolica confirmare; sed etiam duo pulvinaria panno viridi colore cooperta supra præfatum genuflexorium alias camerario concessum imponenda concedere, ac indulgere dignaremur.

Confirmatio, et ampliatio ejusdem privilegii

§. 4. Nos igitur eorumdem exponentium in Nos, et sanctam Sedem fidei, ac devotionis merita, paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac ipsos hac in re quantum cum Domino possumus, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, et supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præfatas literas recolendæ memoriæ Benedicti XIV. prædecessoris Nostri in forma Brevis expeditas in ea parte, quæ usum scamni, scabelli, ac strati supplicationibus impartitur, et rec: mem: Clementis XIV. itidem prædecessoris Nostri rescriptum apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, et quatenus opus sit, auctoritate, et tenore prædictis denuo concedimus; insuper præ oculis etiam habentes honorificentiam, qua decet decorari præfatum camerarium, qui nulla utilitate memoratum officium exercet, in retributionem maximi laboris, quem in administrationem fabricæ ecclesiæ cathedralis Urbevetanæ impendere tenetur, eidem moderno camerario,

et omnibus deinceps existentibus, quod in futuris temporibus, et in quibusvis publicis functionibus in ecclesia cathedrali habendis, præfatis pulvinaribus panno viridi coopertis licite, ac libere uti, et potiri, ac gaudere possit, et valeat auctoritate, et tenore præsentis indulgemus, ac impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac cathedralis Ecclesiæ, illiusque almæ civitatis, magistratus, et aliorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xii decembris MDCCCLXXVII. pontificatus Nostri anno tertio.

## CLXVI.

Dat. die ix Decembris 1777. Anno III.

Erectio ecclesiæ Nanceyensis

Pius episcopus
servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ad universam agri Dominici curam et inspectionem ubi primum fuimus ex divinæ bonitatis consilio, nulloque Nobis assistente meritorum suffragio vocati, nedum Nos plane ad hoc constitutos esse intelleximus, ut juxta verbum propheticum prava germina evellere, ac noxia quæque curaremus destruere, ut fructuosa plantaremus, atque ædificaremus utilia, sed vicissim agnovimus vigilis esse, et industri agricolæ studium præcipuum, ut ubi inspexerit partem aliquam ipsius agri bonis undique florentem arboribus, et plantis illic satagat coloniam instruere, et novum præficere cultorem, ut circa eam duplicatis operariorum labore, et industria nullum in posterum, quod mereatur succidi germen appareat, sed herbis ita salubribus virescere videatur, ut dulcia pabula fiant, quæ gregem eo advenientem valeant saginare, ac denique repetente Domino cujusque villicationis rationem, et Nos de injuncto Nobis munere gaudeamus, et de traditis quisque sibi talentos relatis fructus uberius ei possit exhibere.

Christianissimus rex erectionem suadet et requirit, civitatis Nanceyensis demonstrata præstantia, et insignitas.

§. 2. Cum itaque ex insinuatione Nobis a carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum, et Navarræ rege christianissimo per suas literas nuper facta accepimus satis insigne nomine suo oppidum civitas nuncupatum Nanceyense Tullensis diœcesis in ducatu Lotharingiæ consistens, et ducatus ipsius caput, et princeps arce munitum, muroque circumdatum, publicis, privatisque ædificiis, ac satis pulchrisque semitis exornatum, nec non populi frequentia celebre, utpote triginta millium circiter habitatorum numero refertum, inter quos centum presbyteri fere numerantur ob situs amplitudinem, æris, et soli amœnitatem humanarum rerum ubertatem, ac præcipue pro eo quod in eodem oppido totus residet universi ducatus hujusmodi nobilium familiarum complexus, nec non ejusdem nominis parlamentum, seu suprema regalis curia, ac curia etiam præsidialis cum suo præside, et marescallorum sedes, ac magistratus, seu jurisdictio aquarum,

et nemorum, et consularis justitiæ tribunal, ac militare gubernium, et insuper studiorum generalium, videlicet quatuor facultatibus constans theologiæ scilicet, juris utriusque, ac medicinæ, et artium universitas, ac præter illam unum itidem medicinæ, et alterum chirurgiæ regalia respective nuncupata collegia, nec non unum pariter Misericordiæ nuncupatum cum suis consilio, advocatis, et procuratoribus pro carceratorum defensione, eorumque causarum patrocinio, ac alterum respective officia, seu collegia administrationis pariter nuncupatum pro pauperum colonorum epidemico morbo affectorum cura, et solamine respective constituta existunt. Et præter duodecim virorum, et decem mulierum diversorum respective ordinum conventus, et monasteria, ac septem parochiales ecclesias, quarum unaquæque Charitatis etiam nuncupatam domum pro administratione, et respective distributione eleemosynarum in pauperes illarum respective parochianos facienda annexam habet, ac tria xenodochia, pluresque laicorum canonice erectas confraternitates adest sæcularis et insignis collegiata primatialis nuncupata ecclesia sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis apostolicæ Sedi immediate subjecta, ac forma quidem elegans, amplæque structuræ, cum choro, organo, campanis, cœmeterio, ac sacristia satis redditibus pro sacristani, et clericorum, nec non infrascriptorum, aliorumque famulorum, seu deservitorum stipendio dotata, sacrisve ad divina peragenda, et pontificalia etiam exercenda suppellectilibus, vasis, et ornamentis copiose instructa, et in qua collegiata ecclesia de sanctissimæ Crucis ligno pars notabilis, pluresque sanctorum reliquiæ, præsertim vero integrum corpus sancti Sigisberti, dum viveret in terris, Austrasiæ regis, et Lotharingiæ hujusmodi ducum, qui alias pro tempore fuerunt progenitoris, maxima sane magnificentia, et splendore asservantur.

Excellentia capituli celebratur.

§. 3. Ac cujus nobile, et insigne capitulum, primate scilicet qui prælatorum ad instar apostolica sibi auctoritate concessa indumenta defert, ac ejusdem collegiatæ ecclesiæ caput existit, omnimodamque jurisdictionem super infrascriptis dignitariis, et canonicis, aliisque prædictæ collegiatæ ecclesiæ membris exercet, ac mensam habet separatam, et distinctam a capitulari mensa infrascripta, quique primatiam inibi principalem, cui satis decens palatium pro commoda primatis hujusmodi habitatione, quæ etiam pro uno præsule sufficiens foret, in dicto oppido reperitur annexum, ac decano, qui decanatum secundam, ac cantore, qui cantoriam tertiam, ac scholastico, qui scholastriam quartam respective dignitates etiam inibi existentes, ad quas, dum illæ pro tempore vacant, nominatio personarum idonearum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad prædictum Ludovicum regem vigore indulti eidem Ludovico regi apostolica auctoritate concessi semper, et omni tempore spectare dignoscitur, nec non viginti uno canonicis ex indulto apostolico talaris vestis violacei coloris, ac roccheti cum suis manicis, nec non mozzettæ ejusdem coloris usu gaudentibus, qui totidem canonicatus, totidemque præbendas, qui, et quæ (exceptis quatuor ex ipsis canonicatibus, et præbendis, qui clericis, seu presbyteris graduatis affecti sunt) non nisi personis probata generis nobilitate præstantibus conferri possunt, et ad quos canonicatus, et præbendæ etiam dum illi, et illæ pro tempore vacant, nominatio videlicet personarum etiam idonearum Nobis itidem, et Romano pontifici pro tempore existenti prædicto facienda in undecim cujuslibet anni mensibus ad eumdem Ludovicum regem vigore similis indulti apostolici, eorum vero, et earum etiam dum illi, et illæ pro tempore vacant in duodecimo, scilicet aprili cujuslibet etiam anni mense, collatio, provisio, et quævis alia dispositio ad pro tempore existentes primatem, ac capitulum, et canonicos dictæ collegiatæ ecclesiæ respective spectat, et pertinet, etiam respective obtinent, componitur. Ac cujus capitularis mensa satis superque proventibus est fundata, ac præter capitulares hujusmodi in ipsa collegiata ecclesia tres honorarii canonicatus, et plures semipræbendæ, ac duæ subcantoriæ, et octo vicariæ perpetuæ: tres quoque cappellaniæ, ac unum insuper officium bibliothecarii nuncupatum personalem residentiam respective requirentes, et requirens, ac servitium chori annexum etiam respective habentes, et habens, ac quorum, et quarum, ac cujus respective etiam illi, et illæ, ac illud dum pro tempore vacant collatio, provisio, et quævis alia dispositio ad eosdem primatem et capitulum, ac canonicos pro tempore existentes ipsius collegiatæ ecclesiæ ex indulto prædicto similiter spectat, et pertinet, ac quarum subcantoriarum,

et vicariarum, nec non cappellaniarum hujusmodi, dictique officii respective possessores pro tempore existentes ex prædicta capitulari mensa participant, ac inferiorem nuncupatum clerum in ipsa collegiata ecclesia constituunt, erecti quoque et instituti, ac erectæ, et institutæ, nec non erectam, et institutum respective etiam reperiuntur. Ac pro majori divinorum officiorum celebritate, et splendore unus phonascus, et unus organista, nec non sex chori nuncupati adolescentuli, pluresve musici cantores et symphonistæ ex eisdem redditibus prædictæ sacristiæ mensuali sunt mancipati stipendio, ita idcirco celebre esse noscatur, ut inter illustriores Franciæ regni civitates jure merito recenseatur, et tam oppidum ipsum, ut ad episcopalis civitatis honorem evehatur, quam dicta collegiata ecclesia, ut ad cathedralis et primatialis ecclesiæ statum, ac dignitatem sublimetur respective dignum, et digna reputentur, proindeque idem Ludovicus rex pro ingenita ejus pietate considerans quoque unius episcopatus erectionis in dicto oppido faciendæ utilitatem jam alias, ut infra, probatam, intuitu nimi extensæ ac peramplæ Tullensis diœcesis mille et sexcentum terras inter et pagos complectentis jurisdictionis, cui unus tantum episcopus par esse nequit de suorum subditorum animarum salute, ac spirituali gubernio et regimine studiosus, atque solicitus erectionem hujusmodi per Nos fieri, piissimis etiam inclytæ semper memoriæ ejus in dicto regno immediate prædecessoris et avi, quæ, dum viveret, gerebat in corde votis hærendo vehementer desideret, suasque desuper in dictis literis Nobis, ut præfertur, datis de hoc preces adjunxerit.

*Usque ab anno 1627. erectio episcopatus, probata fuera.*

§. 4. Nos igitur qui ejusdem oppidi, ac prædictæ collegiatæ ecclesiæ tam insignibus prærogativis inspectis, atque attendentes quod usque ab anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo septimo congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præposita supplicante etiam tunc existente ejusdem Lotharingiæ duce pro hujusmodi erectionis effectu, audita prius relatione eorum, quæ deducta fuerant ex processu in partibus tunc desuper confecto, ac præmissis omnibus mature perpensis ad erectionem ipsam deveniendum fore censuit, prout in decreto ejusdem congregationis sub die prima februarii supradicti anni desuper edito plenius continetur, congruam esse censemus novæ sedis episcopalis in ipso oppido institutionem, eamque, ac omnia et singula per Nos, ut infra, disponenda catholicæ fidei propagationi, Christifidelium ædificationi, et spirituali consolationi, divinique cultus incremento valde profutura esse confidimus, eximium ejusdem Ludovici regis zelum, et religiosa desideria hujusmodi plurimum in Domino commendantes, atque apostolicæ Nostræ benignitatis ministerio prosequi volentes.

*Ecclesiæ collegiatæ conversio in cathedralem ecclesiam.*

§. 5. Motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine dictam collegiatam ecclesiam, et in ea nomen, titulum, denominationem, naturam, et essentiam collegialitatis tantum, ita ut illa ex nunc collegiata esse desinat, ac de cætero uti talis amplius denominari, inscribi, censeri, vel reputari non possit, nec non primatiam prædictam, quæ ut pariter accepimus in titulum obtinetur ad præsens, ac cujus fructus, redditus, et proventus ad triginta tres florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis in libris cameræ apostolicæ, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, illiusque titulum collativum, ac etiam nomen, denominationem, naturam, et essentiam dignitatis collativæ, ita quod illa etiam ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, ac de cætero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, seu de illa quovis modo disponi amplius nequeat, et si illam ullo unquam tempore conferri, seu impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliæque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant de ipsius Ludovici regis, nec non dilectorum filiorum modernorum primatis, ac capituli, et canonicorum dictæ collegiatæ ecclesiæ respective consensu apostolica auctoritate prædicta ex nunc perpetuo respective supprimimus, et extinguimus, illisque sic suppressis, et extinctis prædictum oppidum in civitatem episcopalem Nanceyensem, ut prius nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in fu-

turum; dictam vero collegiatam ecclesiam per Nos sic, ut præfertur, suppressam, et extinctam in cathedralem, et primatialem etiam ut prius nuncupandam ecclesiam Nanceyensem archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam sub invocatione ejusdem beatæ Mariæ virginis etiam ut antea extituram, et in ea sedem, et dignitatem episcopalem, et primatialem pro uno deinceps episcopo, et primate Nanceyense etiam ut antea nuncupando, qui eidem ecclesiæ, illiusque civitati Nanceyensi, ut præfertur, nuncupandis et diœcesi etiam Nanceyensi, ut infra assignandæ præsit, abbates inferiores, prælatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa episcopali, cæterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis, realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliæ cathedrales ecclesiæ præsertim dicti regni Franciæ, earumque præsules quomodolibet (non tamen titulo oneroso seu ex indulto, aut privilegio particulari) similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, Deiparæque virginis Mariæ honorem, fideique catholicæ exaltationem apostolica auctoritate prædicta itidem perpetuo erigimus, et instituimus. Deinde vero supradictum capitulum ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum cathedrale, et primatiale Nanceyense etiam ut antea nuncupandum, ita tamen ut ob retentionem donominationis primatis, et primatialis hujusmodi nullum jus superioritatis, aut præeminentiæ supra cæteros episcopos cæteraque capitula cathedralium ecclesiarum prædicti ducatus Lotharingiæ tam episcopo quam capitulo Nanceyensi prædictis acquisitum esse censeatur.

Commutatio dignitatum, aliorumque officiorum

§. 6. Dictum vero decanatum, qui secunda in majorem post pontificalem hujusmodi per Nos, ut præfertur, erectam, ac prædictam cantoriam, quæ tertia in secundam, ac scholastriam hujusmodi, quæ quarta respective dignitates ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ hactenus, ut præfertur, existere in tertiam etiam respective dignitates, nec non eosdem viginti, et unum canonicatus, totidemque præbendas ipsius collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, eorumque, ac trium dignitatum hujusmodi, ut infra, subrogandarum respective modernos, et pro tempore existentes possessores in totidem canonicatus, et præbendas, ac respective dignitarios, et canonicos, parique modo eosdem tres canonicatus honorarios, et semipræbendas hujusmodi, ac prædictas duas subcantorias, dictasque octo vicarias perpetuas, et easdem tres cappellanias, dictumque officium bibliothecarij, eorumque pariter, ac earum, et ejus respective possessores nunc, et pro tempor existentes in totidem etiam canonicatus honorarios, et semipræbendas, nec non subcantorias, ac vicarias perpetuas, et cappellanias, ac in officium bibliothecarij, et respective in totidem canonicos honorarios et semipræbendatos, nec non subcantores et vicarios perpetuos ac cappellanos et bibliothecarium dictæ cathedralis et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ et institutæ eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo respective substituimus, et subrogamus, ac substitutas, et subrogatas, nec non substitutos, et subrogatos, ac substitutum et subrogatum esse, et fore, omnesque et singulos tam dignitates, et canonicatus, ac præbendas, quam canonicatus honorarios et semipræbendas, nec non subcantorias, et vicarias, ac cappellanias hujusmodi, dictumque officium bibliothecarij respective nunc obtinentes prædictos in illarum, et illorum et illius respective per eos hucusque habita possessione absque alia eis desuper respective facienda provisione, et in eadem fructuum, redditum et proventuum, quos de præsenti respective percipiunt fruitione libere, et licite remanere posse, ac debere salvis, firmis, et illæsis remanentibus favore eorumdem modernorum, et pro tempore existentium capituli, et canonicorum dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis sic erectæ, et institutæ per Nos, ut præfertur, subrogatorum hujusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, insigniis, prærogativis, honoribus, indulgentiis, aliisque gratiis quibuscumque tam spiritualibus, quam temporalibus et mixtis; præsertim vero correctivam jurisdictionem super eisdem di-

gnitariis et canonicis ipsius cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ, illiusque absente futuro episcopo, ac primate supradicto, sicuti hucusque absente primate ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ et extinctæ jurisdictionem hujusmodi exercuerunt, ita etiam in posterum perpetuis futuris temporibus exercendi, ac statuta, ordinationes, et decreta pro regimine, et administratione fructuum, redditunm, proventuum, et bonorum dictæ mensæ capitularis, divinorumque officiorum celebratione, et ecclesiastica disciplina servanda, ac alias hactenus ædita, quoties opus fuerit, cum approbatione tamen ipsius futuri episcopi, ac primatis Nanceyensis pro tempore existentis reformandi, seu de novo edendi, et concedendi, nec non causarum, seu processuum capitulum, et canonicos prædictos ac alia membra dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ respicentium appellationes a sententiis per ipsum futurum episcopum, et primatem Nanceyensem, seu illius vicarium in spiritualibus generalem pro tempore latis in secunda instantia de episcopali, et primatiali curia Nanceyensi ad dictam Sedem apostolicam, ut prius, immediate ferendi, et aliis respective juribus eisdem capitulo et canonicis, aliisque membris prædictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, subrogatis hujusmodi apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis, ac etiam de jure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus (dummodo tamen illa sint in usu, et revocata non sint, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non repugnent) in omnibus, et per omnia perinde, ac si status collegialitatis hujusmodi minime immutatus foret eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque decernimus, et declaramus: admittentes præterea favore dictorum capituli, et canonicorum tunc et pro tempore existentium prædictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, quod ipse futurus episcopus, et primas Nanceyensis tam primo instituendus, quam pro tempore existens jurisdictionem episcopalem super dicta civitate Nanceyensi, et infrascripta sibi, ut præfertur, assignanda diœcesi per eum, ut præfertur, habendam cum ejus particulari jurisdictione super ipsa cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi per Nos, ut præfertur, erecta, et instituta confundere nequeat, sed alios vicarium et officialem, ac promotorem deputet pro ipsis civitate, et diœcesi Nanceyensi, alios vero et distinctos vicarium, ac officialem, et promotorem pro dicta cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi per Nos, ut præfertur, erecta designet in modum, ut eveniente casu, ut ipse pro tempore futurus episcopus, et primas Nanceyensis dictam cathedralem, et primatialem ecclesiam per Nos, ut præfertur, erectam personaliter, ac per se ipsum visitare non possit, hujusmodi visitationis negocium alicui ex officialibus dictæ episcopalis jurisdictionis committere nequeat, sed pro ejusdem visitationis effectu vicarium pro dicta cathedrali et primatiali ecclesia Nanceyensi per Nos, ut præfertur, erecta sic designandum deputare teneatur. Quodque ipso pro tempore futuro episcopo, et primate Nanceyensi a civitate Nanceyensi prædicta per Nos etiam, ut præfertur, erecta absente ejus mandata, et ordinationes ad prædictam cathedralem, et primatialem ecclesiam Nanceyensem per Nos, ut præfertur, erectam, aut per se ipsum, aut per eumdem vicarium pro dicta sic erecta cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi, ut præfertur, designandum dirigantur, eademque vero absentia durante, institutiones in subcantoriis, et vicariis per Nos, ut præfertur, subrogatis hujusmodi eo tempore vacaturis ab ipso vicario pro dicta cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi, ut præfertur, erecta sic designando tantum dari debeant: parique modo, quod canonici, clerici ejusdem cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ pro tempore existentes, qui sacros ordines a dicto pro tempore futuro episcopo, et primate Nanceyensi utique debebunt suscipere, si tamen literis dimissorialibus indigerent, hujusmodi literæ non nisi ab ipso pro tempore futuro episcopo, et primate Nanceyensi, seu eodem vicario pro dicta cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi sic erecta, ut præfertur, assignando, cæteris aliis penitus exclusis dari possint, idemque servari debeat quoad approbationes eorum ex dictæ cathedralis et primatialis ecclesiæ Nanceyensis sic erectæ ad sacramentales excipiendas Christifidelium confessiones; quodque demum idem vicarius pro dicta cathedrali, et primatiali ec-

clesia Nanceyensi, ut præfertur, erecta sic designandus sicuti retroactis temporibus, ita in posterum e gremio eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ per ipsum pro tempore futurum episcopum, et primatem Nanceyensem semper, et perpetuo desumi debeat. Ac insuper ut dicta cathedralis, et primatialis ecclesia Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erecta ex omni parte perfectior reddatur, ac majori ministrorum numero decoretur, in ea unum videlicet qui quarta, ac alterum archidiaconatus, qui quinta etiam inibi dignitates existant, eamque denominationem habeant; ac ea illis munus, et onera incumbant, quæ episcopo, et primati Nanceyensi primo instituendo prædicto magis videbuntur convenire, et ab ejus respective fuerint arbitrio declaranda, ac quorum tam a primæva erectione infrascripta vacantium, quam etiam in posterum dum illos pro tempore vacare contigerit collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio ad ipsum pro tempore futurum episcopum, et primatem Nanceyensem semper, et omni tempore spectet, et pertineat, quique demum nulli expectativarum gratiæ ullo umquam tempore sint obnoxii, nec sub quocumque indulto comprehendi possint pro duobus presbyteris de nobili genere procreatis, seu graduatis, ac de gremio eorumdem canonicorum, seu alias indistincte ex personis ecclesiasticis ejusdem cathedralis, et primatialis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ desumendis (quod pariter ab ipso episcopo, et primate Nanceyensi primo instituendo ejus arbitrio, absque tamen variatione, semel præfiniri possit) futuris ejusdem cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ archidiaconis, qui ejusdem indultis, honoribus, prærogativis, privilegiis, et gratiis, quibus antedicti dignitarii, et canonici prædictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, etiam, ut putatur, gaudent pariformiter gaudere; quique tamen ex dicta mensa capitulari nullo modo participes sint, sed eos tantum annuales redditus percipere debeant, qui ex dotatione a prædicto Ludovico rege, seu ab ipso futuro episcopo, et primate Nanceyensi in totidem fundis stabilibus, aut alias per viam unionis alicujus beneficii ecclesiastici, apostolica auctoritate facienda, non tamen alicujus ex beneficiis, quæ ad nominationem eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ existunt in posterum assignanda provenient dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus, et instituimus.

Additio archidiaconatus inter capitulares cum suis privilegiis.

§. 7. Ac respective unum, et alterum archidiaconatus per Nos sic erectos hujusmodi capitulo dictæ cathedralis et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, perpetuo pariter adjungimus, et incorporamus, illorumque futuros respective possessores archidiaconos pro tempore existentes inter illius capitulares, et membra comprehensos esse dicta apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus; cum hoc tamen quod pro tempore respective provisi ab ipso pro tempore futuro episcopo, et primate Nanceyensi de uno, et altero per Nos, ut præfertur, erectis archidiaconatibus prædictis in mensibus Sedi apostolicæ reservatis novam de illis respective provisionem ab eadem Sede apostolica impetrare, et literas apostolicas expedire sub pœna nullitatis respective possessionis, et fructuum, redditumm, et proventuum perceptorum restitutionis omnino debeant. Mensæ autem episcopalis, et primatialis Nanceyensis per Nos, etiam, ut præfertur, erectæ dotationi ad hoc, ut idem pro tempore futurus episcopus, et primas Nanceyensis præsulis dignitatem decenter tenere valeat, providere volentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus cura, conventuque carentem, et personalem residentiam non requirentem prioratum sancti Dagoberti de Stenay nuncupatum antiqui ordinis sancti Benedicti Metensis diœcesis, qui, ut etiam accepimus ab infrascripto monasterio dependet, et a dicto nuper moderno primate ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in commendam ad sui vitam ex concessione et dispositione apostolicis obtinetur ad præsens, ac cujus, et illi tamen annexorum fructus, redditus, et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de camera hujusmodi secundum communem æstimationem valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, illiusque pariter titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam, necnon consuetudinem illum commendandi, ita quod ille pariter ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativus esse desinat, ac de cætero uti talis in titulum collativum, seu commendam qua-

vis auctoritate conferri, seu commendari, vel impetrari, aut alias de illo quovismodo disponi amplius nequeat, et si illum ullo unquam tempore conferri, seu commendari, aut impetrari, vel alias de illo quovis modo, ut præfertur, disponi contigerit, collationes, impetrationes, commendæ, aliæque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factæ, nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti pariter existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, ex nunc de dicti nuper moderni primatis ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, moderni prioratus hujusmodi commendatarii, nec non dilecti etiam filii moderni abbatis commendatarii monasterii abbatiæ nuncupati sanctorum Petri, et Pauli de Gorze etiam nuncupati eorumdem ordinis et diœcesis a quo prioratus hujusmodi, ut præfertur, dependet respective consensu apostolica auctoritate prædicta itidem perpetuo supprimimus, et extinguimus, illoque sic suppresso, et extincto, omnia, et singula tam dicti prioratus, quam primatiæ hujusmodi per Nos, ut præfertur, suppressi et extincti, ac suppressæ, et extinctæ, nec non monasterii ejusdem sancti Dogoberti insulæ Barrensis vulgo de Lisle nuncupati ordinis Cisterciensis, quod, ut pariter accepimus, alias præviis itidem illius suppressione, et extinctione apostolica auctoritate perpetuo factis eidem primatiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo unitum fuit respective fructus, redditus, et proventus, jura, bona, res, proprietates, obventiones, et emolumenta quæcumque eidem mensæ episcopali, et primatiali Nanceyensi per Nos, ut præfertur, erectæ; ita quod liceat eidem futuro episcopo, et primati Nanceyensi tam primo instituendo, quam pro tempore existenti ejus, ac dictæ mensæ episcopalis, et primatialis Nanceyensis sic erectæ nomine ejusdem prioratus, et primatiæ hujusmodi per Nos ut præfertur suppressi, et extincti, et suppressæ, et extinctæ, prædictique monasterii sancti Dogoberti, illorumque respective rerum, bonorum, proprietatum, fructuum, redditaum, proventuum, jurium, obventionum, et pertinentiarum quorumcumque, veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, ac respective bona, jura, res, et proprietates hujusmodi locare, dislocare, arrendare, ac respectivos quoque fructus, redditus, et proventus prædictos exigere, recipere, et levare, ac supportatis tamen prius per ipsum tam primo instituendum, quam pro tempore existentem episcopum, et primatem Nanceyensem omnibus, et singulis ejusdem prioratus, ac primatiæ hujusmodi per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti, ac suppressæ, et extinctæ, nec non prædicti monasterii sancti Dogoberti, si quæ sint, respective oneribus in suos, ac dictæ mensæ episcopalis, et primatialis Nanceyensis, sic ut præfertur, erectæ usus, et utilitatem convertere cujusvis licentia desuper minime requisita, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ac respective appropriamus.

§. 8. Nec non eidem pro tempore futuro episcopo, et primati Nanceyensi pro sui commoda, et sufficienti habitatione palatium supradictum, quod primatiæ prædictæ ante illius suppressionem, et extinctionem per Nos sic factas hujusmodi, ut præfertur, reperiebatur annexum dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et assignamus. Ac præterea, ut diœcesis Nanceyensis illiusque ecclesiæ episcopalis, et primatialis respective territorium constitui possit a diœcesi Tullensi unam Nanceyensis, ac aliam *de Mirecourt*, ac aliam *de Vezelize*, ac reliquam partes seu portiones districtuum, seu bajulivatuum vulgo *bailliages* nuncupatorum *de Vic* sub præfectura Metensi vulgo *Intendence de Metz* nuncupata existentis: et insuper unum *de Rosiere*, ac alium *de Luneville*, ac reliquum districtus, seu etiam bajulivatus vulgo, ut præfertur, *Bailliages* etiam nuncupatos de *Charmes* apostolica auctoritate prædicta perpetuo quoque dismembramus, dividimus, et separamus, ac respective primodictorum districtuum, seu bajulivatuum partes, seu portiones prædictas, nec non districtus, seu bajulivatus secundodictos sic dismembratas, divisas, et separatas, ac dismembratos, divisos, et separatos hujusmodi, et in eis respective consistentes, et consistentia parochiales (non tamen illas quæ in infrascripto concordato pro eadem Tullensi diœcesi reservatæ existunt) ac collegiatas, et alias ecclesias, monasteria, præposituras, præpositatus, prioratus, et alia quæcumque, quotcumque, et qualiacumque cum cura, et

Concessio palatii pro episcopi residentia, et territorii præfinitio.

sine cura secularia, et quorumvis ordinum regularia, beneficia ecclesiastica etiam sive sæcularia, videlicet canonicatus, et præbendæ dignitates personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva etiam in collegiatis, aliisque ecclesiis: regularia vero beneficia hujusmodi præpositur, dignitates etiam canonicales, personatus, administrationes et officia etiam claustralia cappellaniæ, et cappellæ sint, et ad dignitates, prioratus, præposituras, et præpositatus hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi primodictorum districtuum, seu bajulivatuum primodictorum, partium seu portionum prædictarum, nec non districtuum, seu bajulivatuum secundodictorum utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria jurisdictione, potestate, et superioritate venerabilis fratris Nostri moderni, cujus etiam ad hoc expressus accedit assensus, et pro tempore existentis episcopi Tullensis, ac de consensu pariter dilectorum etiam filiorum modernorum capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Tullensis dicta apostolica auctoritate ad formam et tenorem ipsius infrascripti concordati itidem perpetuo sejungimus, et eximimus, dictumque appidum in civitatem episcopalem per Nos, ut præfertur, erectum, nec non unam Nanceyensis, ac aliam *de Mirecourt*, ac aliam *de Vezelize*, ac reliquam partes, seu portiones prædictas districtuum, seu bajulivatuum primodictorum *de Vic* respective nuncupatorum sub præfectura Metensi hujusmodi, ut præfertur, existentis, ac unum *de Rosiere*, ac alium de Luneville, ac reliquum districtus, seu bajulivatus secundodictos *de Charmes* respective etiam nuncupatos per Nos, ut præfertur, dismembratas, divisas, et separatas, ac dismembratos, divisos, et separatos, et in eis respective, ut præfertur, consistentes, et consistentia parochiales (non tamen illas pro eadem diœcesi Tullensi in infrascripto concordato hujusmodi, ut præfertur, reservatas) ac collegiatas, et alias ecclesias, monasteria, præposituras, præpositatus, prioratus, aliaque supradicta secularia, et regularia beneficia earumdemque districtuum, seu bajulivatuum primodictorum partium, seu portionum ac districtuum, seu bajulivatuum secundodictorum sic, ut præfertur, dismembratorum, et exemptorum, ac dismembratarum, et exemptarum hujusmodi respective habitatores, et incolas tam seculares, quam ecclesiasticas personas, et quorumvis ordinum regulares personas superius expressas novæ ecclesiæ episcopali et primatiali Nanceyensi per Nos, ut præfertur erectæ, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo assignamus, et respective supponimus, atque subjicimus; ulterius vero sperantes, quod in posterum idem Ludovicus rex pro ejus singulari in Deum pietate, ac de catholicæ fidei propagatione zelo eo magis incensus alia similia, aut majora ad regis æterni gloriam, et honorem facere possit, eidem Ludovico regi, ejusque successoribus Franciæ regibus jus nominandi Nobis et Romano pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure præfixum ad prædictam episcopalem, et primatialem ecclesiam Nanceyensem tam hac prima vice a primævis illius erectione, et institutione per Nos, ut præfertur, factis pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen apud Sedem apostolicam prædictam etiam pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam per Nos, et eumdem Romanum pontificem pro tempore existentem ad nominationem hujusmodi eidem ecclesiæ Nanceyensi, ut præfertur, erectæ, in episcopum et primatem præficiendum eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

§. 9. Nec non jus nominandi hujusmodi ad dictam episcopalem, et primatialem ecclesiam Nanceyensem per Nos, ut præfertur, erectam regium existere, eidemque Ludovico regi, ejusque successoribus Franciæ regibus prædicto in indemnitatem abdicati per ipsum Ludovicum regem juris nominandi ad dictam primatiam per Nos etiam, ut præfertur, suppressam, et extinctam semper, et perpetuo competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juris nominandi regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis proegnantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione etiam per viam constitutionis, legis, regulæ cancellariæ apostolicæ, aut alias quomodolibet facta nullatenus comprehendi, ne-

Jus nominandi episcopum canonicos, dignitates, aliosque beneficiatos regi christianissimo; cum suis declarationibus conceditur.

que illi ullo unquam tempore ex quavis causa derogari posse, neque debere dicta apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, declarantes præterea quod non obstante status immutatione dictæ collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, et in cathedralem, et primatialem ecclesiam Nanceyensem etiam, ut præfertur, erectæ, nec non subrogatione decanatus videlicet prædicti in majorem post pontificalem, et primatialem hujusmodi, ac cantoriæ in secundam, et scholastriæ prædictarum in tertiam respective dignitates ejusdem cathedralis et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ, etiam, ut præfertur, facta, nihilominus idem Ludovicus rex, ejusque successores reges prædicti scilicet in prædicta nominatione personarum idonearum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, ut supra facienda ad prædictas tres dignitates quocumque tempore, ac ad dictos viginti ut unum canonicatus, totidem que præbedas ejusdem cathedralis et primatialis ecclesiæ Nanceyensis sic erectæ, ut præfertur, per Nos subrogatas, et respective subrogatos hujusmodi in undecim cujuslibet anni mensibus tantum quovismodo respective vacaturas, et vacaturos, ut prius futurus vero pro tempore existens episcopus Nanceyensis prædictus, etiam in sua primatis Nanceyensis qualitate, nec non capitulum, et canonici dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis, ut præfertur, erectæ nunc et pro tempore existentes prædicti in eadem nominatione, et respective collatione, provisione, omnimodaque dispositione eorumdem et viginti unius canonicatuum, totidemque præbendarum hujusmodi in mense aprili dumtaxat, cujuslibet etiam anni similiter quovismodo extra Romanam curiam in posterum vacaturorum, quam etiam in nominatione, seu præsentatione personarum itidem idonearum ad tres canonicatus honorarios hujusmodi, ac ad dictas duas subcantorias, ac octo vicarias prædictas, dictasque tres cappellanias, nec non ad dictum officium bibliothecarii, et ad alia beneficia ecclesiastica in cathedrali, et primatiali ecclesia sic erecta sita, si quæ sint, in posterum etiam quovismodo respective vacaturos, et vacaturas ac vacaturum, et vacatura in eis, et eo ad nominationem, seu præsentationem hujusmodi per dictum pro tempore futurum episcopum, et primatem Nanceyensem, sive ejus vicarium prædictum pro dicta cathedrali, et primatiali ecclesia Nanceyensi, ut præfertur, erecta, ut supra, designandum respective, ut præfertur, instituendarum. Ac denique dilectus similiter filius modernus, et pro tempore existens abbas regularis cujusdam monasterii ordinis Cisterciensis in nominatione pariter per eum, ut etiam accepimus, hactenus habita ad unum, et unam ex eisdem viginti, et uno canonicatibus, totidemque præbendis dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis, ut præfertur erectæ, ut antea, respective continuare libere, et licite possit, et debeat.

*Præcipitur expeditio literarum, ut electi in possessionem mitti possint.*

§. 10. Injungentes tamen futuris pro tempore respective nominatis tam a dicto Ludovico rege, ejusque successoribus regibus prædictis ad easdem tres dignitates, ac prædictos viginti et unum canonicatus, totidemque præbendas dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis, ut præfertur, erectæ, quam a dictis pro tempore futuro episcopo et primate, ac capitulo et canonicis tunc, et pro tempore existentibus ipsius cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis, ut præfertur, erectæ ad eosdem viginti, et unum canonicatus, totidemque præbendas hujusmodi, ut ipsi nominati literas apostolicas sub plumbo super dignitatum earumdem, ac canonicatuum, et præbendarum prædictorum respective provisionibus sub eadem pœna nullitatis respective possessionis, et fructuum, redditunm, et proventuum etiam respective perceptorum restitutionis omnino debeant et teneantur. Cum vero Nobis innotuerit, quod inter ipsum Tullensem, ac venerabilem etiam fratrem Nostrum sancti Deodati respective modernos episcopos, nec non dilectum pariter filium ad dictam cathedralem, et primatialem ecclesiam Nanceyensem per Nos, ut præfertur, erectam Nobis a prædicto Ludovico rege per suas literas prædictas sub spe eamdem juris nominandi hujusmodi reservationem sibi per Nos, ut præfertur, concessam obtinendi, nominatum episcopum, et primatem Nanceyensem infrascriptum concordatum super tam respectiva Tullensi, ac novarum sancti Deodati, et prædictæ Nanceyensis respective diœcesum limitum præfinitione, quam etiam parochialium ecclesiarum in supradictis, et certis aliis districtibus existentium inter eos juxta dictarum literarum ejusdem Ludovici regis tenorem facienda

divisione, ac super certis aliis in eodem infrascripto concordato late contentis, et expressis objectis initum fuerit.

Cum omnia statuta fuerint invim concordati initi cum sancta Sede, illius et expressus tenor refertur.

§. 11. Nos eorum omnium, quæ ad intuitum et finem tam utilem, et æquum in eo conventa esse intelleximus perpetuæ observantiæ, ac firmitati consulere volentes, idem infrascriptum concordatum, ut præfertur, initum ac, in ipso Gallico idiomate quo fuit exaratum ad quæcumque removenda super expressione localium verborum versionis æquivoca cum omnibus, et singulis jam tamen legittime sequutis, et sequendis quibuscumque apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo approbamus, et confirmamus, illique perpetuæ, inviolabilis, et irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, omnesque et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum, aliosve quantumvis substantiales defectus si qui desuper in eodem concordato, ut præfertur, inito principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, intelligi, aut prætendi possent supplemus, et sanamus ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus. Tenor autem concordati ut præfertur initi est qui sequitur.

Tenor concordati.

» les jour et an susdits = Signé Pallas » president Pierron secretaire controllé » à Toul le trois may 1776 signé Ulriot = » pour copie conforme a l' original à » Toul le sept may 1776 = signé Pier- » ron secretaire avec paraphe = Parde- » vant les conseillers du roy notaires » royaux et apostoliques de l' evéche et » diocese de Toul bien et dûement im- » matriculés au bailliage royal en et l'- » officialité de la meme ville y residents » soussignés. Furent presents messieurs » Brice Thomas Tardif, Pierre Francois » Rochard, et Antoine Charles Rollin » chanoines et archidiacres de l' eglise » cathedrale de Toul, le premier archi- » diacre de Port, le second de Vitel, et » le troisieme de Voges, les quels ont dit » et declaré que les futurs diocéses de » Nancy et saint Diez devant d'etre » composées de la portion du diocese de » Toul qui contient les cures, et anne- » xes dependantes de leurs archidiaconés » respectifs, sur les quelles ils out des » droits honorifiques et utils ils ont sup- » plié monseigneur leur evêque de pour » eux, et en leur nom en la qualité qu'ils » agissent consentir purement, et sim- » plement à l' erection des evéches de » Nancy et saint Diez et se deporter de » tous leurs droits sur les paroisses, et » autres eglises qui composeront ces » deux nouveaux evéches priant mon » dit seigneur evêque de Toul de leur » procurer tant pour le present, que » pour l' avenir les indemnitées qu' il » trouverà convenable = Est aussi com- » paru monsieur Nicolas Dehuz pretre » chanoine, et grand archidiacre de la » dite eglise cathedrale de Toul, le que a » aussi supplié monsieur l' evêque de » Toul de pour lui, et en son nom con- » sentir purement et simplement à la » distraction des paroisses de Chaligny » et des Maron qui font partie du grand » archidiacone pour etre desormais du » diocese de Nancy et de Maron qui » font partie du grand promettant mes » dits seigneurs comparent, en la qualité » qu'ils s'agissent d' avoir pour agrea- » ble tont ce qui se rà fait par se gran- » deur en execution de la presente pro- » curation et de n' y jamais contrevenir » obligeant ec. fait et passé à Toul aux » etudes avant midi le dixieme may mil » sept cent soixante seize, et onte mes » dits seigneurs comparents signé avec » les dits notaires apres lecture faite ain- » si Dehuz Tardif chanoine archidiacre » de Port, Rochard archidiacre de Vitel, » Rollin archidiacre de Voges Ulriot, et » la capelle en la minute controllé au

» bureau de Toul à l' instant demeurée » et registrée de monsieur la capelle » pour copie delivrée par le sousigné » notaire royal et apostolique depositai- » re de la minute signé la capelle avec » paraphe = En marge est ecrit= Scellé » à Toul le dit jour avec paraphe au » dessous insinué et controllé au Greffe » des insinuations ecclesiastiques à Toul » le dix may mil sept cent soixante » seize, signé p. Vincent avec paraphe = » Il est ainsi ces dites pieces duêment » legalissées veritables, et annexes com- » me dit est à la minute de l' acte dont » l' expedition est des autres part le tout » en la possesion du dit monseigneur » Cordier notaire = Cordier = Momet = » scellé le dit jour.

Ipsius concordati exequutio, et observantia præcipitur.

§. 13. Decernentes propterea dictum concordatum, ut præfertur, initum ac etiam, ut præfertur, approbatum, et confirmatum in omnibus, et per omnia suos plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec non a dictis modernis Tullensi, et sancti Deodati, ac futuro, et pro tempore respective existentibus Nanceyensi respective episcopis, et ab omnibus aliis in eodem concordato, ut præfertur, inito, ac per Nos etiam, ut præfertur, approbato, et confirmato expressis personis ad quas nunc spectat, et pertinet, ac spectare, et pertinere potest, et poterit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter, atque inconcusse observari, et adimpleri debere, illosque a dicto concordato, ut præfertur, inito, ac per Nos etiam, ut præfertur, approbato, et confirmato, nulloque unquam tempore quovis prætextu, seu quavis occasione, vel causa resilire, vel recedere posse, imo ad integram illius observantiam teneri, ita ut quæcumque per eosdem modernos Tullensem, et sancti Deodati, ac futurum, et respective pro tempore existentes Nanceyensem respective episcopos prædictos, et quoslibet alios contra dicti concordati, ut præfertur, initi, et per Nos etiam, ut præfertur, approbati, et confirmati formam, et earumdem præsentium tenorem, et continentiam quandocumque faciendæ dispositiones nullæ prorsus, et invalidæ, ac insubsistentes sint, ac tales fore, et esse censeri debeant, ac easdem præsentes semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus etiam sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter quoque, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut quocumque alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expositionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis juxta, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti seu se juvare in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiam si in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, æditas, et in posterum ædendas comprehendi; sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pri-

stinum, et validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac tenore, et præeminentia fulgentes sublata, eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Postremo autem desiderantes, ut præmissa omnia sic per Nos, ut præfertur, disposita ad suum feliciter perducantur effectum, et ea quæ non unquam in similibus suscitari solent obstacula dirimantur. Hinc venerabilem fratrem Nostrum modernum archiepiscopum Tolosanum in exequutorem pro exequutione tantum earumdem præsentium apostolica auctoritate prædicta constituimus, et deputamus, eidemque moderno archiepiscopo Tholosano facultatem, ut ipse quascumque personas in dignitate ecclesiastica, ac etiam episcopali constitutas pro hujusmodi exequtionis effectu subdelegare libere, et licite valeat dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium concedimus, et impartimur, eidem moderno archiepiscopo Tolosano sive ejus subdelegando, motu, ac potestatis plenitudine pari mandantes, quatenus eorum alter eos limites, et confines prædictæ novæ diœcesi ejusdem episcopalis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ præfinire, et fixare, ac respective eidem futuro episcopo, et primati Nanceyensi eas portiones, seu quantitates, et qualitates parochiarum ecclesiarum assignare, qui et quæ in dictis literis prædicti Ludovici regis Nobis, ut præfertur, exhibitis, et in ipso concordato, ut præfertur, inito, ac per Nos etiam, ut præfertur, approbato, et confirmato, contenti, et expressi, ac contentæ, et expressæ reperiuntur auctoritate Nostra curet, et satagat, nec non easdem præsentes, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, solemniter publicans, ac omnibus, et singulis personis, quarum favorem eadem præmissa quomodolibet concernunt efficacis defensionis præsidio assistens faciat eadem auctoritate Nostra easdem præsentes, et in eis, ut præfertur contenta quæcumque, a quibuscumque ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ac eosdem futurum episcopum, et primatem, ac modernos, et pro tempore existentes capitulum, et canonicos dictæ cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis, ut præfertur, erectæ, aliosque præfatos illis pacifice frui, et gaudere, non permittens ipsos, vel eorum quempiam per quoscumque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari, ac perturbari; et nihilominus super quacumque oppositione adversus eadem præmissa quomodolibet oritura, quacumque appellatione remota etiam definitive pronunciet, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna juris, et facti remedia compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras, et pœnas ipsas etiam interatis vicibus aggravando, implorato etiam ad hoc quatenus opus fuerit brachij sæcularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII prædecessoris Nostri; qua cavetur ne quis ultra suam civitatem, et diœcesim nisi in certis inibi expressis, et exceptis casibus, et in illis non ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede apostolica prædicta deputati extra civitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant. Non obstantibus relatis in concilio generali de duabus dietis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibusque, generalibus, universalibusque conciliis æditis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris, et cancellariæ præfatæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus ad partes committendis; et de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis etiam constitutione, dictique monasterii a quo præfatus prioratus sancti Dagoberti, ut præfertur, dependet, dictique ordinis sancti

Benedicti etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis: quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de inscribendis fructibus in libris cameræ apostolicæ.

§. 16. Volumus antea quod fructus ejusdem cathedralis, et primatialis ecclesiæ Nanceyensis per Nos, ut præfertur, erectæ juxta redditus illius prædictæ episcopali mensæ, ut præfertur, assignatos de more taxati ad quadraginta unum florenos auri pares cum uno tertio alterius floreni similis comprehensi tamen in illis dictis triginta tribus florenis hujusmodi, ad quos eadem primatia per Nos, ut præfertur, suppressa, et extincta ante hac, ut præfertur, taxata reperiebatur, et hujusmodi taxa in dictis libris cameræ apostolicæ præfatæ describi respective debeant.

Fides habenda transumptis

§. 17. Volumus etiam quod earumdem præsentium transumptis, et exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici, seu unius ex negociorum committentibus expeditionariis Romanæ curiæ nuncupatis Parisiis commorantibus subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ eisdem literis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, substitutionis, subrogationis, declarationis, admissionis aliarum erectionis, institutionis, adjunctionis, incorporationis, statuti ac aliarum itidem suppressionis, et extinctionis, et extinctionis, unionis, annexionis, concessionis assignationis, dismembrationis, divisionis, separationis, sejunctionis, exemptionis, suppositionis, subjectionis reservationis, aliorum statuti, et declarationis, injunctionis approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis, et sanationis, decreti, constitutionis, deputationis, facultatis, concessionis, et impartitionis, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo die decima tertia decembris pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 14 decembris 1777. Anno III.

## CLXVII.

Erectio terræ de Linares in Indiis occidentalibus, signanter in novo Legionensi regno existentis in civitatem episcopalem, et in ea sitæ parochialis ecclesiæ in cathedralem ecclesiam de Linares nuncupadam sub invocatione Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, et archiepiscopo Mexicano suffraganeam extituram cum reservatione illius jurispatronatus favore regis catholici.

Pius episcopus

servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Relata semper ab Ecclesia militanti in verbo illius, qui firmam supra petram ædificavit eam, contra principem tenebrarum victoria, quemadmodum per inducta quandoque inter populos in mortis umbra sedentes crucis vexilla, quondoque vero per novos etiam in sinu credentium episcopatus in medio alia veluti nova fidei tentoria ac propugnacula erectos ad resistendum validius humani generis inimico, ac custodiendam, et defendendam civitatem sanctam, ac vineam Domini electam fuit omni tempore non sine prædecessorum Nostrorum gaudio, ac spirituali Christifidelium profectu, ac solamine recognita. Nos ita quos licet immerentes regimini ejusdem Ecclesiæ constituit Dominus, illam trophæis in dies illustrioribus quantum in Nobis est, ac cum ipso Domino, possumus ditare cupientes, dum animo revolvimus, et deprehensum habemus, quam facile sit ex nonnullarum diœcesum amplitudine, ut oriantur abusus, quamque difficile eos inde sic ortos eliminare et avellere; ex debito idcirco pastoralis officii, ne in medium prodeant apostolicæ potestatis gladio præeuntes, aliorumque incommodo per novarum cathedralium erectiones comitante principum catholicorum pietate viam præcludere satagimus, ut tandem benedicente Domino qui exiguis incrementum dat labores Nostros omnes populi tenebris licet ignorantiæ obvoluti, quod paravit Dominus ante faciem eorum, lumen proprius videntes majores et condignos in ecclesia hujusmodi bonorum operum fructus, ac virtutum flores Altissimo cum gratiarum actione uberius valeant exhibere.

Expositio rationum suadentium novam erectionem.

§. 2. Cum itaque sicut nuper ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici per dilectum filium Josephum Nicolaum de Azara ejus negotiis apud Nos, et Sedem apostolicam præpositum Nobis facta accepimus ad dicti Caroli regis audientiam, et repræsentationem a regali consilio in consultatione diei trigesimæ mensis octobris anni Domini MDCCLXXV sibi facta pervenerit quod alias diversis, et successivis temporibus videlicet sub annis ejusdem Domini MDCCXXXVI MDCCXXXVII MDCCXXXVIII Prædecessori suo gloriosæ memoriæ Philippo eo nomine V dominatori Hispaniarum itidem regi catholico ex nonnullorum fide dignorum parte, relatisque ab Indiis ethnicis in litorali sinus Mexicani regione morantibus assiduo patrabant invasionibus, latrociniis, et sævitiis, quodque intus hujusmodi regionis districtum uberta pabula, terræ fertiles, locupletesque auri, et argenti fodinæ absque cultu, et respective usu existebant, ac de cetero quam facili dispendio infideles ipsi ad catholicæ religionis amplexum, et evangelicæ veritatis sequelam reduci, simulque suo, et successorum suorum earumdem Hispaniarum regum dominio, ac nationis urbanitatis, et civilium artium legibus subdi potuissent. Secus autem quam gravia ex tunc novo Legionensi regno damna, et pericula ex eorum parte imminebant nisi expedite curata foret regionis hujusmodi habitatorum conciliatio, eorumque spiritualis æque, ac temporalis acquisitio idem Philippus rex de præmissis instructus tam per huiusmodi, quam per aliam sibi jam præventive ab eodem consilio de ipsius Philippi regis ordine in alia simili consultatione, prævio maturo examine respective factas expositiones pro ipsius catholicæ religionis augmento zelo promotus suo tunc temporis pro novo Hispaniæ regno constituto, proregi toto commisso negocio, districtius ei dederat in mandatis, ut ea super re de qua scripserat discutienda calatis comitiis eam deputaret vigilem, expertamque personam, quæ manum operi tanto valideque admoveret. Ac reipsa licet per aliquod temporis executio præmissorum suspensa remanserat de anno præterito ipsius Domini MDCCXLVI pro hujusmodi mandatorum adimplemento, selecto ab eodem prorege præclaro viro Josepho de Escandon militum tribuno ad infrascripta peragenda constituto ei desuper opportuno præsidio idem Josephus super hujusmodi regio-

nis facie collatus, et illius explorato circuitu tunc primum retulit, qui coloniarum numerus pro Indorum hujusmodi acquisitionis securitate foret instruendus situs, insuper in quo earum unaquæque pro tuta vicissim recipienda defensione ædificari debuisset, quot denique populo, territorio, et subsidiis indigeret. Deinde vero omnimoda sibi ab eodem prorege in vim decreti ab eo in generalibus comitiis in civitate Mexicana de anno præterito Domini MDCCXLVIII. habitis, editi, auctoritate tributa operam ita navare cepit, ut benedicente Domino octodecim in circuitu ipso colonias instruxerit, et quindecim prope illas ex gente jam tunc conciliata missiones instituerit, ceteris omnibus qui suæ renuere voluntati territorium illud linquere penitus, et omnino coactis. Verum in sua de gestis hujusmodi ad auditorem belli sub anno dicti Domini MDCCLI transmissa, et per auditorem ipsum antedictum proregi insinuata informatione, cum inter cætera, quæ singillatim adhibenda proposuit media de unius maxime episcopatus erectionis in eo circuitu facienda necessitate suaderet, ac sequenter sæpefatus prorex (statutis interim quæ sine mora pro coloniarum earumdem populi subsistentia provisione indigebant) super hujusmodi erectionis suscepturo negocio tam prælaudatum Philippum regem per unam, quam per regium ipsum consilium per alteram epistolas diei sextæ mensis decembris ejusdem anni MDCCLI. reddiderit certiores factus est inde, ut proposito hoc ipso, matureque discussa erectionis hujusmodi necessitate in alia simili sub die xxvii. mensis decembris anni MDCCLII desuper habita consultatione supradicto proregi iterum mandatum extitit, ut in re tanti momenti prius an vera mittendi novum eo illum episcopum necessitas urgeret, illaque vero probata qui foret uniscujusque coloniarum hujusmodi respective habitatorum numerus, et in illis utrumque aliqua existeret, in qua novus episcopus tuto morari voluisset, et decimæ in ipso circuitu annuatim percipi solitæ, an pro honesta ipsius episcopi, ac novæ insuper erigendæ cathedralis ecclesiæ, illiusque capituli substentatione sufficere possent accuratius faceret inquiri, et respective referret, ac alias prout in ejusdem Philippi regis diplomate sub die xxix. mensis januarii anni præteriti Domini MDCCLIII. desuper et perpetuo plenius continebatur.

§. 3. Cum autem sicut etiam accepimus ex eo tempore quatuordecim jam fere annorum spatium effluxerit, absque eo quod tam serio demandata inquisitio, tum stante gemina proregum variatione, tum etiam obitu ipsius Philippi regis interea superadvento perficeretur, de anno denique ipsius Domini MDCCLXVII. tum existens in eo proregis munere successor mandata hujusmodi nondum adimpleta perspiciens ea nimirum occasione, qua dilectum quoque filium Josephum Osoriæ de Lamas virum jurisconsultum ad eamdem sinus Mexicani regionem expediit, ei simul injunxit integram præmissorum indaginem, ut suum desuper sensum, votumque aperiret. Eo itaque plaudenter functo munere dictus Josephus sub die videlicet xxviii. mensis februarii anni ejusdem Domini MDCCLXIX. adamussim retulit se prius facta longitudinis æque, ac latitudinis mensione supradictæ regionis in ea viginti tres jam vere instructas invenisse colonias, quarum cujusvis animarum numerum, simul redactum ad centum quinquaginta mille ac quatuorcentum et sexaginta unam ascendere, nonnullas vero ex iisdem coloniis sub una scilicet Mexicanam, et ei propinquiorem centum et viginti nonnullas alias, sub alia de Mechoacan eique pariter propinquiorem centum et quinquaginta, reliquas autem sub reliqua diœcesibus de Guadalaxara respective comprehensas biscentum respective leucis ab archiepiscopali Mexicana et episcopalibus de Mechoacan, et de Guadalaxara hujusmodi respective sedibus distare, ac novi regni Legionensis prædicti, provincias Coaquilæ, et Tesas, terramque de Saltillo ab ipsa de Guadalaxara, et loca insuper de Taumabe, et de Palmillas, ac Real de los Infantes, et Tula respective nuncupata ab eadem de Mechoacan respective civitatibus, a quibus respective dependet, eo etiam remotiores extare, et unamquamque ex dictis sedibus inter, et respective colonias ac provincias, et loca hujusmodi, tam aspera itinera, pravosque transitus intercedere, ut fieri non possit, ut archiepiscopus Mexicanus, et de Mechoacan, ac de Guadalaxara respective episcopi pro tempore existentes sine eorum valetudinis evidente discrimine eo illuc causa explendæ pastoralis visitationis accedant, seu si accedere sit datum, raro tamen ob id visitatio hujusmodi fiat, adeoque ipsarum coloniarum incolis spiritualia auxilia plerumque deficiant,

Causæ quæ erectionem retardarant.

et prava germina, quæ non raro in agro Domini succrescunt, non valeant inde tempestive succidi; addito quoque et numerato pecude, et annuali ex circuitu ipso decimarum proventu, ac respective explorato congruentiori loco pro tuta unius episcopi residentia, locum ipsum videlicet in infrascripta terra de Linares aptissimum, et ab omni barbarorum incursu ut pote in novo supradicto Legionensi regno existentem prorsus exemptum, redditus vero presentanei (futuro tamen non comprehenso notabili eorum augumento) ex ipsa episcopatus erectione in eo Americæ dominio facienda obventuros satis superque pro novi episcopi, illiusque capituli decenti manutentione sufficere respective repererit; propterea que sic stantibus præmissis in Domino putaret, ut si dicta terra de Linares, quæ de cetero temperati, optimique climatis existit civitatis episcopalis titulo decoraretur, et in ea unus episcopatus de Linares nuncupandus in infrascripta parochiali ecclesia, ut infra supprimenda erigeret, illoque sic erecto eædem Coaquilæ, et Tesas respective provinciæ, seu gubernia, et territorium prædictæ terræ de Saltillo, ab una scilicet de Guadalaxara, prædicta autem de Taumabe et de Palmillas, ac Real de los Infantes, et de Tula ut prefertur respective nuncupata loca, eorumque et respective territoria ab alia de Mechoacan, ac omnes ex supradictis coloniis ab infrascripta Mexicana diœcesi dependentes ab ipsa et reliqua Mexicana respective diœcesibus perpetuo, et respective dismembrarentur, et novo huic episcopatui sic erigendo pro illius territorio etiam diœcesi adijcerent, et aggregarentur; omnesque, et singulæ decimæ ex eisdem provinciis, locis, et coloniis, sic, ut præfertur, obvenientes, et ad ipsum Carolum regem spectantes, nec non infrascriptæ ipsius parochialis ecclesiæ fructus, redditus, proventus, et emolumenta quæcumque novæ mensæ episcopali pro illius ex dicti episcopi de Linares, illiusque capituli, ut infra pariter instituendi respective dotatione, prout in aliis episcopatuum in eisdem Indiis erectionibus consuetudo fuit applicarentur, et alia etiam infra exprimenda fierent. Ex hoc profecto nedum archiepiscopi, et respective episcoporum prædictorum commodo, quieti, et tranquillitati, simulque spirituali populorum pabulo peropportune provideretur, sed etiam ipsi infideles in eo circuitu ut supra degentes facilius, Deo propitio, reducerentur, et ab eis quacumque superstitione, et idolorum cultu deleto christiana religio, ars agraria, commercium, ratio, urbanitas, et industria inibi respective inducerentur; ac denique reformatis in clero tam seculari, quam regulari quæ censura digna noscuntur ad populorum edificationem ecclesiastica, et religiosa munia exactius adimplerentur, et sæcularium officiorum administratio majori fieret rectitudine, nec non remoto quovis invasionum metu, ejusdem regni consuleret securitati ac redditus ærrarij regij per amplius in dies augerentur, prout in ipsa prædicta Josephi desuper facta relatione plenius et uberius continetur.

§. 4. Proindeque idem Carolus rex supradictis necessitate ac utilitate nec non mediis et provisione inspectis, ac, ut præfertur probatis ejusdem erectionis opus tam felicibus incæptum auspiciis, et quo nil carius atque jucundius ad regis æterni gloriam, fideique catholicæ propagationem generaliter in corde per Nos perfici vehementer desiderans per eumdem Josephum Nicolaum ejus nomine Nobis humiliter supplicari fecerit quatenus erectionem ipsam, aliaque infrascripta concedere dignaremur. *Rex Hispaniarum erectionem exoptavit, et petiit.*

§. 5. Nos igitur qui omnibus et singulis circumstantiis superius expressis matura consideratione pensatis congruam esse censemus novæ sedis episcopalis in supradicta terra institutionem, eamque, ac omnia alia per Nos ut infra disponenda catholicæ religionis augmento, christifidelium ædificationi, et spirituali consolationi, divinique cultus incremento valde profutura confidimus, eximium ejusdem Caroli regis zelum, et religiosa desideria plurimum in Domino laudantes, eaque apostolicæ Nostræ benignitatis ministerio prosequi volentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine parochialem ecclesiam in dicta terra de Linares sitam, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, ac de cetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, vel impetrari, seu de illa quovis modo disponi amplius nequeat, et si illam deinceps ullo unquam tempore conferri seu impetrari vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliæque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus vel coloratum ti- *Concessio.*

tulum possidendi tribuant apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Terra de Linares in civitatem erigitur, cum suis privilegiis.

§. 6. Illisque sic suppressis et extinctis eamdem terram de Linares in novo regno Legionensi hujusmodi quod nova Hispania, novique Santanderis in Indiis occidentalibus colonia vocatur, ut præfertur, existentem in civitatem episcopalem de Linares etiam nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ in eisdem Indiis occidentalibus, earumque cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Ecclesia parochialis in cathedralem convertitur.

§. 7. Dictam vero parochialem ecclesiam per Nos, ut præfertur, suppressam, et extinctam de potestatis plenitudine pari in cathedralem ecclesiam de Linares etiam nuncupandam sub invocatione Conceptionis B. M. V. Immaculatæ Hispaniarum patronæ exstituram, pro uno deinceps episcopo de Linares similiter nuncupando, qui eidem cathedrali ecclesiæ, illiusque civitati per Nos ut infra erigendis, nec non diœcesi etiam de Linares per Nos etiam ut infra assignandæ præsit, dictamque parochialem ecclesiam sic, ut prefertur, suppressam, et extinctam, et in ecclesiam cathedralem etiam, ut præfertur, erectam, ad tramites præscripti per leges regni hujusmodi, et constitutionum regiarum in earumdem legum margine insertarum in forma ecclesiæ cathedralis construi et redigi faciat, et in ea tot dignitates, ac canonicatus, et præbendæ existant cum opportuno, et competenti cappellanorum per quorum alterum cura animarum pro tempore existentium parochialem dictæ parochialis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, et in ecclesiam cathedralem etiam, ut præfertur, erectæ, et institutæ debeat exerceri, et aliorum officialium et ministrorum numero, quæ et qui pro divini cultus, et ecclesiastici cleri decore sibi videbuntur convenire, ac alias juxta numerum canonicorum, aliorumque ministrorum aliorum capitulorum ecclesiarum cathedralium eidem archiepiscopo Mexicano metropolitico jure subjectarum, prævia tamen earum, et eorum congrua, et quæ pro illos, et illas pro tempore respective obtinentium substentatione sufficiat, et illarum partium decori respondeat respectiva dotatione, ex infrascriptis decimis, et redditibus novæ mensæ episcopali infrascriptæ, ac ipsi futuro episcopo de Linares constituenda, et assignanda quamprimum fieri poterit, ac deinceps eos omnes alios canonicatus, easque omnes respective præbendas, quos et quas idem Carolus rex in ipsa cathedrali ecclesia de Linares per Nos, ut præfertur, erecta, et instituta pro sua in Deum pietate fundare arbitrabitur respective erigat, et instituat. Nec non episcopalem jurisdictionem, auctoritatem, et potestatem exercere, omniaque, et singula, quæ ordinis, quæque jurisdictionis, et cujusvis alterius muneris episcopalis sunt, et quæ aliis tam in eisdem Indiis etiam prædicti archiepiscopi, etiam Mexicani suffraganei existentes, quam alibi ubicumque constituti episcopi in suis respective ecclesiis, civitatibus, et diœcesibus de jure, vel consuetudine, ac alias quomodolibet, etiam privilegiis, gratiis, et indultis, ac dispensationibus apostolicis desuper quæcumque fuerint, et per literas apostolicas desuper nominatim, et in specie concessas auctoritate, et facultate suffulti facere, et quibus uti solent, et possunt pariformiter æque principaliter, et absque ulla differentia, perinde ac si sibi quoque nominatim, et in specie concessa, et expressa fuissent in sua diœcesi de Linares ut infra assignanda facere, gerere, et exercere libere, et licite possit, et debeat, ac eidem pro tempore existenti archiepiscopo Mexicano suffraganeus, eique metropolitico jure prædicto subjectus existat, cum sede, mensa, aliisque insigniis episcopalibus, nec non præeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus, et temporalibus, personalibus, realibus, et mixtis, quibus cæteræ cathedrales ecclesiæ Indiarum hujusmodi similiter de jure vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu indulto, auctoritate apostolica, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur, et gaudent, et uti, potiri, frui, et gaudere poterunt, apostolica auctoritate prædicta, ad Dei omnipotentis laudem, et gloriam, Deiparæque virginis immaculatæ honorem, fideique catholicæ exaltationem etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

Dismembrationes factæ a cæteris diœcesibus pro constituendo territorio novi episcopatus.

§. 8. Et insuper a diœcesi scilicet de Guadalaxara supra dictas Coaquile, et Texas respective provincias, seu gubernia hujusmodi, nec non idem territorium prædictæ terræ de Saltillo, ut præfertur, nuncupatæ, a diœcesi autem de Mechoacan prædicta de Toumabe, et de Palmillas, ac Real de los Infantes, et de Tula, ut præfertur, respective nuncupata loca, illorumque respective ter-

ritoria, ac denique a Mexicana archidiœcesi eas omnes ex prædictis coloniis in eo circuitu existentes, et ab ipsa archidiœcesi Mexicana dependentes apostolica auctoritate prædicta itidem perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, ac easdem provincias, territoria, loca, et colonias hujusmodi sic, ut prefertur, dismembratas, divisas, et separatas, ac dismembrata, divisa, et separata, nec non omnes, et singulas utriusque sexus in eis degentes personas et incolas tam laicos, quam clericos presbyteros, beneficiatos, et religiosos cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria (non tamen respectu archiepiscopi Mexicani metropolitica) jurisdictione, potestate, et superioritate, venerabilium etiam fratrum Nostrorum modernorum (quorum ad id expressus respective accedat assensus) et pro tempore existentium archiepiscopi Mexicani prædicti, ac de Guadalaxara, et de Mechoacan respective episcoporum, dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo disiungimus, et eximimus, ac respective prædictam terram de Linares per Nos in civitatem episcopalem, ut præfertur, erectam; Nec non provincias, seu gubernia, ac territoria, ac loca, nec non colonias hujusmodi ut præfertur dismembratas, divisas, et separatas, ac dismembrata, divisa, et separata, et in eis nunc, et pro tempore respective, ut prefertur, degentes personas superius expressas novæ ecclesiæ de Linares, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo; ita quod liceat personæ eidem ecclesiæ de Linares tam nunc a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum præficiendæ per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possesionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicta terra de Linares in civitatem episcopalem per Nos, ut præfertur, erecta, et in eisdem provinciis, seu guberniis, ac territoriis, et coloniis, ac locis, ut præfertur, dismembratis, divisis, et separatis, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Mexicani, vel cujusvis alterius licentia desuper minima requisita, apostolica auctoritate prædicta etiam perpetuo concedimus, et assignamus, ac non supponimus, atque subjicimus.

§. 9. Mensæ autem episcopali de Linares etiam per Nos, ut præfertur, erectæ pro illius dote, ac congrua, et sufficienti tum dicti futuri episcopi de Linares, tum pariter futurorum capituli, et canonicorum, aliorumque cappellanorum, officialium, et ministrorum hujusmodi pro tempore existentium dictæ cathedralis ecclesiæ, ut præfertur, erectæ, et institutæ substentatione, ac stipendiorum, aliorumque onerum prædicto episcopo de Linares pro tempore existenti incumbentium supportatione providere volentes omnes, et singulas decimas ex eisdem provinciis, territoriis, locis, et coloniis, ut præfertur, dismembratis, divisis, et separatis, ac pro territorio, et diœcesi ejusdem ecclesiæ episcopalis de Linares, ut præfertur, erectæ, et institutæ etiam, ut præfertur, concessis, ac assignatis, et suppositis, ac subjectis annuatim obvenire, et respective percipi solitas, ac eidem Carolo regi, ut præfertur, spectantes (deductis tamen prius ex eisdem decimis duabus nonis dicto Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus annuatim debitis). Ac omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus ipsius parochialis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, et in ecclesiam cathedralem hujusmodi etiam per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ (dempta tamen etiam annuatim ex illis congrua, ac sufficienti portione favore unius ex cappellanis, ut præfertur, instituendis hujusmodi, seu cujusvis alterius ecclesiæ, idoneæque personæ pro animarum parochianorum hujusmodi curæ exercitio ab ipso futuro episcopo de Linares in dicta cathedrali ecclesia, ut præfertur, erecta, et instituta pro tempore deputandi, seu deputandæ) eidem mensæ episcopali de Linares, ita quod liceat eidem personæ dictæ cathedrali ecclesiæ de Linares tam nunc a primæva illius erectione hujusmodi quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum præficiendæ ejus, ac dictæ mensæ episcopalis nomine supradictarum decimarum, ac fructuum, redditmum, et proventuum prædictorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, illasque et illos respective locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, recuperare, ac in suos, et dictæ mensæ episcopalis, ut præfertur, erectæ usus, et utilitatem, nec non futu-

**Assignatio dotis mensæ episcopalis.**

rorum capituli, et canonicorum, aliorumque cappellanorum officialium, et ministrorum prædictorum dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur erectæ, et institutæ, ac stipendiorum, aliorumque onerum supradictorum supportationum convertere, cujusque licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate similiter perpetuo sicuti in aliis episcopatuum hujusmodi in eisdem Indiis erectionibus aliis pro tempore factis, et ut consuetudo extitit unimus, applicamus, et appropriamus.

Privilegia canonicis concessa.

§. 10. Ac præterea eisdem futuris et pro tempore existentibus capitulo et canonicis ipsius cathedralis ecclesiæ de Linares erectæ, et institutæ, ut ipsi eadem prorsus indumenta choralia, ac signa, et insignia quæcumque tam in dicta cathedrali ecclesia de Linares, ut præfertur erecta, et instituta, quam extra eam, et tam in processionibus quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis etiam extra dictam civitatem de Linares per Nos, ut præfertur, erectam, ac ubique locorum etiam in synodalibus, provincialibus, et universalibus conciliis, ac etiam in præsentia S. R. E. cardinalium, et de latere legatorum, vice legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, ac aliorum quorumcumque, ac etiam in ipsius cathedralis ecclesiæ de Linares, ut præfertur, erectæ et institutæ, choro, et capitulo quibusvis anni temporibus, et diebus deferre, et gestare, ac quibusvis aliis indultis, privilegiis, exemptionibus, et gratiis, quæ ceteris aliis capitulis, et canonicis aliarum cathedralium ecclesiarum dicto archiepiscopo Mexicano metropolitico jure prædicto, ut præfertur subjectarum tam in limitum earum respective erectionum, quam subinde, et per literas apostolicas nominatim, et in specie reperiantur concessa, etiamsi talia sint, quæ specialem notam, et mentionem requirant, pariformiter, uti, et gaudere libere et licite possint apostolica auctoritate prædicta pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Concessio juris patronatus, et juris nominandi favore regis Hispaniarum et successorum ejus.

§. 11. Ac ulterius prædicto Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus prædictis juspatronatus, et jus præsentandi ad ecclesiam de Linares hujusmodi tam hac prima vice a primæva illius erectione, et institutione a Nobis, ut præfertur, factis hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties eam apud Sedem apostolicam pro tempore quomodolibet etiam pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad præsentationem hujusmodi eidem ecclesiæ de Linares, ut præfertur, erectæ, et institutæ in episcopum præficiendam, ac aliud juspatronatus, et præsentandi coram ordinario loci personas itidem idoneas ad quæcumque tam dignitates etiam majorem post pontificalem, quam canonicatus, et præbendas, et alia beneficia, et officia ecclesiastica quovis nomine nuncupanda in ipsa cathedrali ecclesia de Linares pro tempore ab ipso futuro episcopo de Linares, ut præfertur, erigenda, et instituenda hujusmodi quandocumque, et quotiescumque illas, et illos, nec non illa de cætero quibusvis modis, et ex quorumcumque personis etiam Nostris, et Romani pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium etiam tunc viventium familiaribus, et continuis comensalibus, seu Romanæ curiæ officialibus, aut alias qualitates, reservationem, et affectionem inducentes habentibus, seu per liberas etiam ex causa permutationis respective resignationes de illis in dicta curia, vel extra eam etiam notario publico, et testibus sponte respective factas, aut assecutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationes, religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, matrimonii contractum, aut alias quomodocumque et qualitercumque etiam apud Sedem apostolicam præfatam vacare contigerit in eisdem dignitatibus, ac canonicatibus, et præbendis, aliisque beneficiis, et officiis, ut præfertur, erigendis hujusmodi ad præsentationem eamdem per ipsum loci ordinarium respective instituendas prædicto Carolo regi, ejusque successoribus regibus prædictis sibi apostolica auctoritate itidem perpetuo respective reservamus, concedimus, et assignamus. Decernentes juspatronatus, et præsentandi hujusmodi tam ad dictam ecclesiam de Linares a Nobis, ut præfertur, erectam, et institutam, quam ad easdem dignitates, ac canonicatus, et præbendas prædictas, et alia beneficia, et officia quæcumque a dicto futuro episcopo de Linares ut præfertur erigendas, et instituendas, ac erigendos et instituendos, nec non erigenda, et instituenda hujusmodi regium existere, illudque eidem Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus prædictis competere, ac vim, effectum, na-

turam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem jurispatronatus regis hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis prægnantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione, et per viam legis, constitutionis, regulæ cancellariæ apostolicæ, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo unquam tempore, et ex quavis causa, seu quacumque ratione, et per Sedem apostolicam prædictam, et consistorialiter dorogari posse, nec derogatum esse censeri, nisi ipsius Caroli regis, ejusque successorum regum prædictorum ad id expressus accedat assensus, et si aliter quovismodo derogetur, derogationes ipsæ cum inde sequutis nullius roboris vel momenti fore, ac de cetero quascumque collationes, et provisiones de eisdem dignitatibus, ac canonicatibus, et præbendis aliisque beneficiis, et officiis in dicta cathedrali ecclesia de Linares, ut præfertur, erigendis, et instituendis hujusmodi, absque prævia ipsius Caroli regis et ejus successorum regum prædictorum præsentatione, aut consensu quomodolibet pro tempore factas nullas, irritas, et inanes esse, nullique suffragari debere, nec per eas cuiquam jus acquiri, vel coloratum titulum possidendi tribui posse.

Clausulæ salutares.

§. 12. Ac præsentes semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio prætextu, colore, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud; neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, quomodocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse et fore.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 13. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nominatio primi episcopi a rege præsentati

§. 14. Ac demum ad hoc ut præmissa omnia sic per Nos, ut præfertur, disposita juxta piissima ejusdem Caroli regis vota suos valeant sortiri effectus prospero, felicique successu, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus dilectis quoque filiis Antonio a Jesu presbytero, ac fratri ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupato in collegio oppidi, seu loci de Pachuca in nova Hispania hujusmodi existente expresse professo, et ab eodem Carolo rege sub spe prædicti jurispatronatus reservationem ei, ut præfertur, concessam obtinendi ad eamdem ecclesiam de Linares per Nos, ut præfertur, erectam Nobis præsentato, et respective electo episcopo de Linares; nec non ad infrascriptum tamen officium Vincentio Gonzalez de Santianez laico illarum partium, ac tenenti militum tribuno, alias, ut etiam accepimus, novi Santanderij hujusmodi gubernatori; et in defectum eorum, seu alterutrius alteris personis ecclesiasticæ scilicet, ac pariter ad eumdem infrascriptum effectum etiam seculari eidem Carolo regi gratis, et acceptis, et ab ipso Carolo rege designandis per easdem præsentes committimus, et eadem apostolica auctoritate mandamus, ut ipsi Antonius videlicet electus, vel alia persona ecclesiastica ei sufficienda easdem præsentes debitæ exequutioni demandet, easque ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pertinet observari faciat. Ac pro ejusdem cathedralis ecclesiæ de Linares, ut præfertur erectæ, et institutæ, illiusque reddituum prædictorum, ac sacristiæ, et fabricæ, earumque rerum, et bonorum præsentium, et futurorum tam spiritualium quam temporalium regimine, gubernio, et directione, ac dignitates erigendas hujusmodi futurorum obtinentium canonicorum, aliorumque cappellanorum, officialium, et ministrorum prædictorum numeri statuitione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, funeralium, et anniversariorum celebratione, ac de dignitatibus, canonicatibus, et præbendis, aliisque beneficiis, et officiis, ut præfertur, erigendis, et instituendis hujusmodi pro tempore providendorum receptione, et admissione personali, distributionum etiam quotidianarum, si quæ fuerint, in posterum repartitione, et administratione, personarum per absentes, ac divinis officiis, et functionibus suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione singulorum præsentiis, et absentiis potandis cæremoniis, et functionibus in dicta cathedrali ecclesia sic, ut præfertur, erecta, et instituta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis, nec non ministris ejusdem sic erectæ cathedralis ecclesiæ deputandis, et amovendis salariis, et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus in præmissis, et circa ea quomodolibet opportunis quæcumque statuta, capitula, ordinationes, et decreta, licita tamen et honesta, ac sac. canonibus, nec non decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria, ac alias ad tramites statutorum dictæ metropolitanæ ecclesiæ Mexicanæ cavet, edere et concedere; dictus vero Vincentius, seu quævis alia secularis, et idonea persona, et, ut præfertur, sufficienda limites, et confinia novæ dicæcesis de Linares juxta præmissa præfiniat, determinet, et assignet. Ac tam ipse Vincentius quam dictus Antonius electus seu respective utraque, ut præfertur, sufficienda persona, quæcumque obstacula et impedimenta ex parte cujuscumque personæ super præmissis quomodolibet oritura, authoritate eis a Nobis per easdem præsentes attributa, prorsus dirimere, et removere satagant, et super illis eorum quisque in demandato sibi munere servatis servandis etiam definitive, et appellatione remota pronunciet; ita tamen ut alter alteri non dissentiat, sed eorum vel dictarum personarum uterque juxta injunctum eis respective officium in supradictis omnibus agere et procedere debeat.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, et de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilij novissime celebrati uniones perpetuas in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, ac universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, et po-

testatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio, aut quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent, eisdem præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissme ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de in scribendis fructibus ecclesiæ episcopalis in libris cameræ apostolicæ.

§. 16. Volumus autem quod fructus ejusdem episcopalis ecclesiæ de Linares, ut præfertur, erectæ, et institutæ ad triginta tres florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis de more taxari, et hujusmodi taxa in libris cameræ apostolicæ describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 17. Volumus etiam quod earumdem præsentium transumptis et exemplis etiam impressis, ac manu seu charactere alicujus natarii publici subscriptis, sigilloque personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus originalibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, unionis, applicationis, appropriationis, indulti, reservationis, decreti, commissionis, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo decimo octavo kalendas januarij pontificatus Nostri anno tertio.

## CLXVIII.

Dat. die 15 Decembris 1777. Anno III.

Conceditur, ut in civitate, et diœcesi Popayanensi fieri possit commemoratio s. Josephi.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Emanavit nuper ad supplicationem dilectorum filiorum moderni decani nuncupati cathedralis ecclesiæ Popayanensis in Indiis, ac cleri ejusdem civitatis, et diœcesis a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum decretum tenoris sequentis videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

Popayanen in Jndiis occidentalibus

§. 2. Supplicationibus ssmo Dño Nostro Pio pp. VI hodierno decano ecclesiæ cathedralis Popayanensis in Indiis occidentalibus, et clero ejusdem civitatis, et diœcesis ob peculiarem devotionem, quam erga sanctum Josephum beatæ Mariæ virginis sponsum profitentur, pro facultate peragendi in præfata civitate, et diœcesi commemorationem prædicti sancti Josephi in officio, et missa desponsationis ejusdem beatæ Mariæ virginis; Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem, hujusmodi instantiis benigne annuendo, gratiam juxta petita oratoribus benigne concessit. Die 15 novembris 1777.

M. card. Marefuscus præfectus

Loco ✠ signi

Confirmationis tenor.

§. 3. Cum autem sicut pro parte eorumdem decani, et cleri Nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderant. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ fir-

mitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ cathedralis ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum die decima quinta decembris millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CLXIX.

Dat. die 16 decembris 1777. Anno III.

Dispositio domus, seu præceptoriæ sancti Antonii de urbe.

Pius episcopus
Servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur providentiæ captæ favore ordinis in constitutione edita ad diem 25 octobris 1774.

§. 1. Posteaquam de personis, et bonis perantiqui regularis ordinis, cujus imminebat extinctio maturo exquisito consilio opportunas leges indiximus, ad ea modo, quæ in priori dispositione præservata sunt animum convertentes; muneris Nostri debitum arbitramur reliquum, qua par est sedulitate, et cura certum in ordinem distribuere. Per alias quidem Nostras literas sub datum Romæ apud sanctum Petrum sextodecimo kalendas proxime præteriti mensis januarii pontificatus Nostri anno tertio, explorato voto congregationis nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium a Nobis deputatæ, a qua serio integrum negotium perpensum fuit, aliquas conventiones septendecim articulis contentas, quibus antequam ad summi apostolatus apicem essemus assumpti sub die nimirum vigesima quinta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo quarto ii ordinis de sancto Antonio denominati professores, qui in comitiis Viennæ in Delphinatu erant coacti ordini militari, ac etiam hospitali sancti Joannis Hierosolymitani sb f uturo apostolicæ Sedis beneplacito se se addici curarunt suprema auctoritate Nostra juxta illius congregationis sensum quoad monasteria in Galliarum regnis existentia providis elicitis ordinationibus obfirmare non dubitavimus. Idcirco viginti sex monasteria, domus, seu præceptorias ordinis sancti Antonii in totidem civitatibus, et locis eorumdem regnorum cum eorum bonis, et juribus, nec non ecclesiis, non tamen parochialibus, ordini sancti Joannis Hierosolymitani eadem auctoritate perpetuo univimus, et omnes ordinis sancti Antonii eatenus alumnos, qui in dictis regnis solemnem emiserant professionem ad Hierosolymitanum ordinem in gradu fratrum cappellanorum pariter transtulimus, itaut exinde pro tempore existens Hierosolymitani ordinis magnus magister viginti sex monasteriis, domibus, seu præceptoriis prædictis præsit, et ordinis san-

cti Antonii professores in eisdem regnis jurisdictioni, et gubernio ejusdem magni magistri subsint. Quo vero ad domum, seu præceptoriam sancti Antonii de urbe, quæ alias a felicis recordationis Paulo pp. III. prædecessore Nostro monasterio, et mensæ abbatiali sancti Antonii civitatis Viennensis in Delphinatu, prout acceperamus, fuerat unita, unione quacumque penitus, et omnino dissoluta, atque deleta, tam illius, quam aliorum Avenione, et loco de Valreas in Nostro Venaissino comitatu existentium præceptoriarum, vel commendarum, seu domorum, etiam cum omnibus earum bonis plenariam dispositionem, quæ magis congrua videretur Nobis specialiter, et expresse reservavimus. Interim illas, earumque regimen, et administrationem, bona omnia Sedis apostolicæ nomine pro Nobis regi, et gubernari curatori, Nos ipsi suscepimus prout in eisdem literis cumulate, et abunde singula a Nobis demandata complexa sunt. Sed ut earum literarum effectum subsequutum intelligeremus, atque modo postremam hanc de tribus memoratis præceptoriis, vel commendis, aut domibus, earumque bonorum dispositionem Nostram consulto distulimus, atque interim animum ad ea serio scrutanda adjecimus, quæ pauperum ab igne sauciatorum promptæ, ac sedulæ curationi, divini cultus augumento magis accomodata, et proficua forent. Nuper vero utriusque ordinis in Galliarum regnis annexione secuta, eos ordinis sancti Antonii professores, qui in urbe degebant in Gallias reversos cunctis rebus eorum usui opportunis abunde instructos, nummis quoque ad iter peragendum satis superque suppeditatis dimisimus, propterea que tempus jam imminere arbitramur, quo reliqua Nobis reservata palam aperiremus. Cumque divino illo simus edocti eloquio = omne opus electum justificabitur, et qui illud operatur, honorabitur in illo = ideo nil habuimus antiquius, quam in tribuendis Ecclesiæ bonis, quod optimum agnovimus eligere, idque modo in Domino etiam servare operæ pretium esse ducimus.

*Motus-proprius vi cujus bona, jura, et actiones ecclesiæ et præceptoriæ s. Antonii applicantur archiospitali ss. Salvatoris ad sancta Sanctorum.*

§. 2. Motu igitur proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac personas, quorum favorem præsentes Nostræ literæ concernunt a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, omnia, et singula stabilia, bona, annosque redditus, canones, et loca montium, nec non jura, et actiones ad ecclesiam, domum, seu præceptoriam sancti Antonii de urbe spectantia, et ubicumque existentia ab ipsa ecclesia, et domo, seu præceptoria, nec non a nosocomio ipsarum tenore præsentium penitus, et omnino separamus, et sejungimus, pariterque dismembramus. Ad consulendum autem in primis pauperum indigentiis nosocomium ipsum sancti Antonii, ad quod ii, qui ab igne exulcerati sunt, admittebantur una cum lectis, linteis, utensilibus, instrumentis, nec non medicaminibus, et cum simulacro quoque sancti Antonii, quod inibi venerationi expositum est, ad archiospitale sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum nuncupati de urbe, ubi quamplures medicæ, et chirurgicæ artis professores non desunt, et interdiu, noctuque ad excipiendos ægrotos sunt parati, perpetuo transferimus, ita ut deinceps eidem noscomio prædictum archiospitale subrogatum sit, et in illud personæ, quæ ab igne læsæ fuerint ad medelam juxta artis præcepta recipiendam admitti, ac in eo ali debeant, et retineri usque ad expletam earum curationem. Iis vero, qui minus læsi in lecto detineri non indigebunt, prout hactenus servatum fuit, statis horis medicamina opportuna erunt applicanda. In votis enim summopere habemus, quod ex translatione hujusmodi majus pauperes experiantur charitatis beneficium.

*Ecclesia, domus, viridarium, sacra supellex, argentea, vasa, et reliquiæ sanctorum monialibus ordinis Camaldulensis conceduntur, annua reservata pensione favore fratrum scholarum christianarum.*

§. 3. Ecclesiam vero sancti Antonii, ejusque domum una cum atrio, ac viridario, seu horto, aliisque adnexis, ac etiam omnem sacram supellectilem, argentea vasa, ac sanctorum reliquias, aliasque res ad usum, et ornatum ecclesiæ addictas, et destinatas, præhabita descriptione, ut infra demandanda dilectis in Christo filiabus monialibus ordinis Camaldulensis nuncupatis, quæ sub arcta sancti Romualdi eorum patris regularis disciplinæ observantia divinis assidue incumbunt. Illas ab iis, quas modo incolunt ædibus transferentes etiam perpetuo concedimus, et assignamus, cum onere tamen quotannis summam octoginta scutorum monetæ Romanæ duabus æqualibus solutionibus a die earum ingressus in domum eamdem decurrere incipiendo persolvendi fratribus scholarum christianarum hic in urbe com-

morantium, quorum instituti anno millesimo sexcentesimo octogesimo auctor fuit pius Dei famulus Joannes Baptista de la Salla canonicus metropolitanæ ecclesiæ Remensis, et subinde approbavit, et confirmavit felicis recordationis Benedictus XIII. prædecessor Noster per suas literas apostolicas septimo kalendas februarii anno millesimo septingentesimo vicesimo quarto, ut iidem fratres commodius provisi alacriores fiant in instruendis magno, quo experitur profectu pauperibus adolescentibus in elementis christianæ religionis, in legendi, ac scribendi modo, et in præceptis arithmeticæ. Si vero ipsi ab urbe discederent, vel quavis ex causa enunciatum institutum desererent tunc eadem summa scutorum octoginta, ut præfertur, persolvenda non ideo extinguatur, sed modo, et forma præmissis in conservatorii puellarum sanctæ Euphemiæ de eadem urbe commodum cedant.

Divino cultui, et Christifidelium devotioni erga s. Antonium consulitur.

§. 4. Ut autem divinus in eadem ecclesia cultus, et erga sanctum Antonium Christifidelium devotio nedum servetur, sed etiam augeatur, præcipimus, et mandamus, ut fidelibus pateat ecclesia, et in ea sanctissimum Eucharistiæ sacramentum quadraginta horarum spatio publicæ venerationi juxta turnum assignari solitum decenter exponatur; sancti Antonii festum solemni pompa celebretur, et onera omnia etiam missarum adimpleri debeant. Quovero ad benedictiones, quas ordinis sancti Antonii professores super animalia quæque, et signanter equos impendebant, cum specialis Christifidelium fiducia jugiter fuerit ab omnipotenti Domino, qui aperiens manus suas implet omne animal benedictione illius sancti ope, ac intercessione incolumitatem animalium tueri, ne populi devotio minuatur præcipimus, ut die festo sancti Antonii ante fores ejus ecclesiæ, ut moris fuit, et quoties id requiretur, ac etiam in loco, ubi animalia degunt, consueto sacro ritu benedictiones super animalia impendantur. Ad munus autem benedicendi, recurrente nimirum celebritate sancti Antonii, aliqui ex monachis ordinis Camaldulensium in monasterio sancti Gregorii ad clivum Scauri commorantium de superiorum suorum licentia evocandi erunt; aliis vero anni temporibus, vel monialium ordinarius confessarius, aut presbyter sæcularis quisque illius ecclesiæ servitio addictus benedictiones hujusmodi impertiri poterit. Hoc tamen jus benedicendi animalia, quod ab auditorio causarum palatii apostolici Nostri ecclesiæ antedictæ privative quoad alias urbis ecclesias integrum pluries servatum fuit, etiam deinceps auctoritate Nostra illæsum servatum iri volumus, et mandamus, nec in quavis ecclesia etiam exempta patronali, aut regulari liceat benedictiones hujusmodi sive publice, sive privatim tribuere. Oblationum autem, et eleemosynarum a fidelibus pro gratiarum actionibus libenti, meritoque animo tribuendarum juxta rerum oblatarum, sive species pro sacrosanctis sacrificiis celebrandis, vel in cultum sacelli sancti Antonii, aut in substentationem personarum ecclesiæ addictarum fuerint ordinatæ plenariam, seu fidelem dispositionem, et administrationem dilectæ in Christo filiæ modernæ, ac pro tempore existenti abbatissæ de consilio earum monialium, quæ in similibus vocem, et votum habent, tribuimus, et impertimur. In Domino tamen moniales ipsas hortamur, ut omnipotenti Deo piarum personarum vota commendent, et ob divi Antonii merita exquisitas gratias pro iis effuso animo postulare non desinant.

Distributio, et partitio bonorum, et proventuum ab ecclesia, nosocomio, et præceptoria s. Antonii sejunctorum.

§. 5. Jam vero ad partienda bona, proventusque, quæ Nos ab ecclesia, nosocomio, et domo, seu præceptoria sancti Antonii separavimus, et sejunximus progredientes, ut archiospitalis sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum indemnitati in primis consulamus, eidem hospitali quoddam latifundium in vocabulo = Aguzzano = extra portam sancti Laurentii, quod alia ejusdem archiospitalis bona intersecat, illiusque annuos redditus applicamus, et appropriamus. Præterea ea bona, annuosque proventus, et canones in territoriis civitatum Prænestinæ, Alatrinæ, et Ferentini, ac oppidorum, et locorum Frosinonis, Palliani, Serronis, Bauci, et Ciprani existentia piæ congregationi mulierum sub titulo charitatis nuncupatæ = delle buone consorelle = paucis ab hinc annis institutæ in terra Sublaci Nullius diœcesis sub protectione sanctissimi Salvatoris, quarum cura est stipem colligere pro pauperibus infirmis, iisque inservire. Item alia bona una cum creditis inexactis in territorio oppidi Coræ Veliternensis diœcesis sita monasterio monialium beatæ Mariæ virginis de Bono Consilio nuncupatæ, et sancti Josephi tertii ordinis sancti Francisci in eodem oppido. Pariter nedum ecclesiam sancti Antonii Viterbii infra parochiales limites ecclesiæ cathedralis existentem, et a domo, seu præceptoria de urbe dependentem, cui presbyter ad nutum

amovibilis deservit, et privative quoad alios animalia benedicere solet, sed etiam illius bona, jura, et actiones, firmo etiam remanente, ut prius, jure benedictiones hujusmodi impertiendi, et oblationes recipiendi cum onere tamen in illa ecclesia divinum cultum procurandi, et præstationem viginti quinque scutorum monetæ Romanæ infrascriptæ accademiæ annuatim persolvendi modernis, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis ejusdem Viterbiensis ecclesiæ dilectis respective filiis, adimpletis tamen omnibus, et singulis oneribus, si quæ respective incumbant, eisdemque bonis sint infixa, respective quoque unimus, annectimus, et incorporamus. Hisce peractis ab asse separationibus bonorum, eorumque applicationibus, quæ pauperum levamen, et sacrarum virginum, ministrorumque Ecclesiæ Dei utilitatem præseferunt majorem, quæ superest bonorum copiam in christianæ reipublicæ bonum convertere deliberavimus.

Consulitur incremento accademiæ nobilium ecclesiasticorum.

§. 6. Et inter cætera cum perpenderimus, accademiam nobilium ecclesiasticorum dudum a felicis recordationis Josepho Renato cardinale Imperiali patrocinante, opemque ferente rec. mem. Clemente XI. prædecessore Nostro in urbe institutam, quam ob regiminis incuriam, et redditunm defectum postremis hisce temporibus penitus collapsam, et destitutam maxima Nostra sollicitudine nobilibus adolescentibus ad urbem accedentibus iterum patere voluimus, nec ingentibus pepercimus sumptibus, ut majori, quam antea fuerat nitori, et cultui restitueretur, nisi uberiori proventuum accessione dotetur, novo forsitan fore obnoxium discrimini, opus sane eximium esse ducimus eadem superextantia bona providis elicitis ordinationibus ipsi accademiæ attribuere. Etenim iis juvenibus nobili e genere ortum ducentibus, quibus in eamdem accademiam recipi datum est, cunctis inibi religionis actibus operam præstare solent, atque ad divinas, humanasque scientias, et ecclesiasticam disciplinam acquirendas excitantur, ut deinde vel in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servitio adsciscí queant, et ad amplissima evocentur munera, aut ad patriam revertentes alios cives, et indigenas instruant, ac per semitas rectas dirigant. Motu igitur, scientia, et potestatis plenitudine paribus omnia, et singula superextantia bona, prædia, vineas, domus, loca montium, canones, census annuos quascumque præstationes, credita, actiones, jura etiam succedendi, substitutiones quoque, et alia quæcumque tam in urbe, quam in agro Romano, ejusque districtu, et ubique locorum existentia alias ad ecclesiam, nosocomium, et domum, seu præceptoriam sancti Antonii hactenus quoquo modo pertinentia, et ab ipsis prætensa, cum infrascriptis tamen a Nobis præscribendis oneribus, et obligationibus eidem accademiæ in illius dotis augmentum præsentium Nostrarum literarum vi perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus. Onera autem necessario subeunda ea erunt; ut præcipue celebrationes missarum, quæ a testatoribus, piisque personis bonis ipsis fuerunt infixa fideliter adimpleantur, ad quorum effectum præfici, ac determinari debeat, quæ annua summa sacristiæ ecclesiæ sancti Antonii sit persolvenda pro celebrationis missarum adimplemento. Insuper ex omnium, et singulorum eorumdem bonorum, et signanter prædii vulgo denominati = La Saccoccia = extra portam Piam urbis siti fructibus, redditibus, et proventibus dilecto pariter filio Claudio de Veyret presbytero Gratianopolitano alias ordinis sancti Antonii professori ob labores, occupationesque nutu Nostro diligenter, et integre impensas, annuam præstationem prorsus liberam, immunem, et a quacumque imminutione exemptam tercentorum scutorum monetæ Romanæ de iuliis decem pro quolibet scuto hujusmodi sibi quoad naturaliter vixerit, vel procuratori suo legitimo in duobus terminis æqualibus, vel mensibus singulis, prout ipsi Claudio libuerit, ab eadem accademia, illiusque moderatoribus absque exceptione aliqua persolvendam, et a die ab infrascripto executore præscribenda incipientem constituimus, et assignamus. Postquam autem eumdem Claudium e vivis decedere contigerit, et hæc annua præstatio cessaverit, cum eamdem accademiam tot affecerimus beneficiis, non abs re arbitramur, quin imo opportunitatem arripimus, ut utendo verbis felicis recordationis Pii pp. II. prædecessoris Nostri commendatione quadam naturæ erga patriam Nostram invitati signum aliquod pietatis Nostræ illi ostendamus.

Duo cives Cæsenatenses in eadem accademia certis sub legibus recipiendos esse præcipitur.

§. 7. Decernimus propterea, volumus, et statuimus, ut tunc, et perpetuis futuris temporibus duo nobiles patritii civitatis Cæsenæ, diversæ tamen familiæ, et agnationis, infrascriptis qualitatibus præditi absque solu-

tione menstrualis præstationis, a qua illos, et eorum singulos ex nunc prout ex tunc perpetuis etiam futuris temporibus plenarie absolvimus, et liberamus, sed expensis ejusdem accademiæ quoad victum, et tectum in illam admitti, et sicut cæteri accademici absque ulla prorsus differentia ali, haberi, et reputari debeant. In ea autem per decennium permanere poterunt, expleto vero decennio, vel minori elapso tempore ob voluntarium unius, vel alterius egressum, seu promeritam arbitrio cardinalis protectoris expulsionem signanter ob ingenii segnitiem proclivitatem ad otium, ad licentiam, ad dissidia aditus fiat successoribus, ita quod jugiter, et perpetuo duo nobiles Cæsenatenses accademici cum præmissa familiarum, et agnationum diversitate in hac accademia sint permansuri absque alimentorum, et habitationis solutione. Jus porro ex cœtu nobilium patritiorum Cæsenæ futuros accademicos seligendi, et nominandi toties quoties casus vacationis advenerit, nusquam vero præventive, nec per expectativam dilectis filiis dignitatibus, et canonicis cathedralis ecclesiæ Cæsenatensis pro tempore existentibus perpetuo pariter tribuimus, et impertimur; sed ipsi dum locus fuerit nominationi peragendæ capitulariter congregati absque interventu episcopi, et vicarii generalis, nisi fuerit et iste canonicus, nec non cum esclusione canonicorum conjunctorum usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum inclusive cum aliquo ex juvenibus concurrentibus eligent solummodo descendentes ex abavo paterno, vel saltem ex avo similiter paterno, qui inter nobiles consiliarios Cæsenatenses adlectus fuerit, et fixum cum tota familia domicilium Cæsenæ habuerit, in eadem civitate orti, et educati sint, nec alterius urbis civilitate potiantur, cursum institutionum juris canonici, et civilis in patria expleverint, ac praxi forensi penes aliquem jurisperitum inibi operam dederint. Præterea eligendi nec minores viginti annorum, nec majores viginti quinque esse poterunt, speciali semper habita ratione eorum, qui majoris expectationis indicia non obscura denotaverint, quorum præcipuum erit, si in publica bibliotheca, quam, Deo dante, erigere in patria Nostra declaravimus, aliis frequentiores se ostenderint, et serius in ea studiis incumbuerint. In electione perficienda secreto suffragia præstabuntur, et qui majorem partem obtinuerint erunt inter concurrentes præelecti, dummodo suffragia favorabilia semper excedant medietatem eorum, qui electioni intererunt, alias nemo habebitur electus. Quod si juvenes cum præmissis qualitatibus in tempore vacationis unius, vel amborum locorum non extiterint, electio in aliud tempus differetur, et interim onus alimentorum cedet in utilitatem accademiæ.

Excluduntur a concursu juvenes, qui tempore electionis peragendæ jam in eadem accademia recepti fuerint.

§. 8. Et quoniam contigere poterit, quod ante primam, vel successorias electiones alter, vel plures nobiles Cæsenatenses in accademia propriis sumptibus commorentur, si quotquot fuerint, exclusos perpetuo volumus a concursu pro admissione ad loca a Nobis instituta, quæ semper reservata volumus favore illorum, qui ante tempus electionis inter accademicos adsciti non fuerint. Præcipimus propterea, et mandamus dilecto quoque filio Nostro moderno, et pro tempore existenti ejusdem accademiæ cardinali protectori, ut ipse, ejusque successores quoties nominationes hujusmodi eis fuerint exhibitæ, illas absque hæsitatione aliqua illico recipi mandet juvenes nominatos, et in accademicos admitti, eosque omnibus prærogativis, quibus alii accademici potiuntur, et gaudent, sine aliquo discrimine, aut differentia potiri, et gaudere faciat.

Servatur onus solvendi quindennium ad tramites constitutionis Urbani VIII.

§. 9. Præter autem memorata onera aliud præexistens minime censemus admittendum, solutionis nimirum quindenniorum, ad quam administratores, seu præceptores præceptoriæ, seu hospitalis sancti Antonii de urbe ratione unius præceptoriæ de monte Sancto Firmanæ diœcesis a felicis recordationis Urbano pp. VIII. etiam prædecessore Nostro per suas literas sub datum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo primo, quarto idus martii favore hospitalis de urbe peracta tenebantur in summa ducatorum quinquaginta unius auri de camera cum tribus ex quatuor partibus alterius ducati similis, ad quorum solutionem ipsa accademia, quæ bonis præceptoriæ de monte Sancto gaudebit perpetuis futuris temporibus pariformiter tenebitur, et obligata erit.

Aperitio mentis pontificis ut recta peragatur literarum executio.

§. 10. Quoniam vero opportunum valde censemus, ut quis præsentium executioni præsit, et possessionem assignatorum bonorum cum oneribus præfigendis tradat, aliaque agat juxta instructionem, mentemque Nostram, ideo dilecto quoque filio magistro Josepho Gavotti A. C. locumtenenti committi-

mus, et mandamus, ut ipse postquam præsentes ei fuerint exhibitæ descriptionem rerum mobilium nosocomii, ecclesiarum, et domorum in urbe, et ubique sitarum confici curet, nosocomium transferat, onera, solutiones, præstationesque præscribat per se; deinde vel alium, seu alios veras, reales, et actuales possessiones, iis quibus ecclesiæ, domus, bona, resque vigore præsentium fuerint applicata juxta mentem, et instructionem ei oretenus communicandam tradat. Quoties vero pro parte interesse hebentium fuerit requisitus, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate Nostra easdem præsentes, et in eis contenta ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter abservari, omnesque, quos eædem præsentes quomodolibet concernunt, illis omnibus pacifice frui, et gaudere non permittens, quempiam ex ipsis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet cujuscumque gradus fuerint per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo. Cæterum quoad alias duas domus, seu præceptorias, unam videlicet in civitate Nostra Avenionensi, et alteram in loco de Valreas Vasionenis diœcesis in Nostro pariter comitatu Venayssino sitas, venerabilibus quoque fratribus Nostris archiepiscopo Avenionensi, et Vasionensi episcopo per præsentes committimus, et mandamus, ut ipsi Nostro, et apostolicæ Sedis nomine realem, et actualem possessionem utriusque ecclesiæ, et domus respective capiant, ac statum illarum activum, et passivum, ut dicitur, effici mandent, quo inspecto, onera omnia adimpleri curent; ordinis vero santi Antonii professoribus, qui in ambabus domibus, seu præceptoriis mansionem habebant in tempore datæ præsentium eamdem annuam assignationem constituant, quæ in Galliarum regnis ejusdem ordinis alumnis fuit præfinita, quod si hujusmodi annuam summam, satisfactis oneribus cujusvis speciei non attigerint, onus erit religionis Hierosolymitanæ deficientem partem supplere, si vero in aliquo supererint, vel assignationes cessabunt, tunc pia opera, quibus redditus hujusmodi devovendi essent, Nobis significare curent. Etenim quanti eorum, qui in partem sollicitudinis Nostræ vocati sunt, animi sensus faciamus statim ostendere non omittemus.

*Omne juris remedium tollitur contra tenorem constitutionis.*

§. 11. Præsentes demum literas, et in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ etiam ex eo, quod causæ propter quas præmissa emanaverint sufficienter adductæ, et verificatæ, vel quicumque circa præmissa interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, aut quocumque alio defectu etiam substantiali notari, impugnari, limitari, modificari, in jus vel controversiam vocari, ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus unquam posse, sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et e converso ab illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum etiam inviolabiliter observari debere, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum generalibus revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus pro tempore factis, vel faciendis numquam comprehendi, sed semper ab illis excipi, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

*Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 12. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici Nostri auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuntios, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definire debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

*Derogatio contrariorum.*

§. 13. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, et de exprimendo valore bonorum ecclesiasticorum tam uniendorum, quam illius, cui uniri petitur, et quateaus opus sit, de jure quæsito non tollendo, et Lateranensis concilii postremo celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in universalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis san-

cti Antonii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem ordini sancti Antonii, ejusque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie forsan in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum tantum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat præsentium Nostrarum literarum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 14. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis, charactere alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ absolutionis, separationis, sejunctionis, dismembrationis, translationis, concessionis, assignationis, præcepti, mandati, voluntatis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, onerum injunctionis, constitutionis, assignationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentari præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, sexto decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CLXX.

Dat. die 10 januarii 1778. Anno III.

Concessio indulgentiarum assequendarum, ab iis qui die prima aprilis visitaverint ecclesias monialium ordinis sancti Dominici.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sancta communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam monialium ordinis sancti Dominici ubicumque existentibus in quinque feriis quartis continuis immediate antecedentibus diem primam mensis aprilis singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresumque extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in una tantum ex præfatis feriis quartis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; in qualibet vero ex reliquis feriis quartis hujusmodi Christifidelibus prædictis præmissa peragentibus septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die x januarii MDCCLXXVIII. pontificatus Nostri anno tertio.

# FINIS TOMI QUINTI